6329

J. Can. L. 655

J. Can. S.

METHODUS PRACTICA DISPENSATIONUM MATRIMONIALIUM, AD CONVENT: AC MONAIENSEM RERUM ANNEXARUM, MODERNO USUI, TAM ROMANÆ, QUAM HERBIPOLENSIS EPISCOPALIS CURIÆ ACCOMMODATA, AD PAROCHORUM, ET CONFESSARIORUM COMMODITATEM IN HANC SUCCINCTAM FORMAM REDACTA, ET SS: CREMI:, S: AUGUSTINI. VEN. FRATERNITATI S. KILIANI, Epiſc. & M. PAROCHORUM PER CIVITATEM, ET DIOECESIM HERBIPOLENSEM IN STRENAM OBLATA

ANNO MDCCXXXIII.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

HERBIPOLI,
Typis Marci Antonii Engmann, Univ. Typogr.

SUB GLORIOSIS AUSPICIIS

REVERENDISSIMI,

AC

CELSISSIMI

S. R. I. PRINCIPIS,

AC DOMINI

D. FRIDERICI CAROLI,

D. G. EPISCOPI BAMBERGENSIS, ET HERBIPOLENSIS,

Franciæ Orientalis DUCIS,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS

CONSILIARII INTIMI, AC CONFERENTIALIS,

S. R. I.

PRO-CANCELLARII,

&c. &c.

DOMINI, ORDINARII, AC PROTECTORIS NOSTRI CLEMENTISSIMI.

AD VEN. CONFRATRES
S. KILIANI,
PER
DIOECESIM HERBIPOLENSEM.

Bſequium præſtituri Deo, ac Ven. Fraternitati Veſtræ, in Epitomen redegimus amplum aliàs argumentum Diſpenſationum Matrimonialium, ſeligendo ea, quæ ad officium Parochi pertinent, quæque hodiernæ praxi viſa ſunt magis congrua. Utilitas operis minima non erit, ſiquidem hac ratione tùm DD. Parochi, (â quibus adeò exacta horum notitia exigi nequîit) tùm Oratores ipſi deinceps poterunt eſſe liberi ab iis incommodis, quibus Diſpenſationum gratias, per multas ambages ſollicitârunt, irrito ſæpè conatu, ac fruſtratis ſimul ſumptibus. Fontes, ex quibus hauſimus hanc Methodum, ſunt Principia, ac Regulæ practicæ in Curia Rom. receptæ, nec non Authores probatiſ-

simi, quorum allegationes brevitatis studio prætermisimus: ac denique ipsa Magistra Experientia, super viridi stylo, & observantia Ætatis nostræ fundata. Si quis Vestrûm ea, quæ referimus, vel iis meliora, aliundè jam possideat, animum juvandi non improbet. Si verò, quod facilè obtingere potest, aliquid supplendum, emendandum, vel declarandum hìc occurrerit, id moniti eò promptiùs præstabimus, quò minùs ea quærimus, quæ nostra sunt, sed quæ JEsu Christi; in quo Vos fideles Ejusdem Adjutores, Fraternitatis amore intimè diligentes, in ubertem laborum vestrorum messem vobiscum cupimus introire,

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Vestri in Christo addictissimi Confratres, in Civitate Herbipolensi.

Index Capitum.

I. *De potestate Dispensandi super impedimentis Matrimonii.* pag. 1.

II. *De Causis Dispensationum Matrimonialium.* 8

III. *De Dispensatione in forma Paupe-rum nuncupata.* 18

IV. *Quænam in Supplicatione Oratorum, vel Relatione Parochi, necessariò exprimenda sint, in ordine ad obtinendam Dispensationem?* 23

V. *Praxis procurandi Dispensationem in Curia Episcopali, pro utroque foro.* 26

VI. *Quid Parochus advertere debeat, quando ejusdem Parochiani instant pro impetranda Dispensatione, quæ in Curia Romana expedienda est?* 43

VII.

VII. *Methodus practica Sac. Pœnitentiariæ circa Dispensationes Matrimoniales.* 65

VIII. *De Dispensatione super impedimentis petendi debitum conjugale.* 95

IX. *Quomodò revalidandum sit matrimonium invalidè contractum?* 100

X. *Quales cautelæ â Parocho adhibendæ sint circa statum liberum matrimoniô jungendorum?* 108

XI. *Quid præcavendum sit circa libertatem, ac matrimonium Exterorum, & Vagorum?* 116

XII. *Quid notandum sit à Parocho post factam Oratorum copulationem?* 130

XIII. *Appendix de Tribunali Causarum matrimonialium, sive de Consistorio Herbipolensi, vulgo* Ehe-Gericht. 170

ME-

METHODI PRACTICÆ DISPENSATIONUM MATRIMONIALIUM

CAPUT I.

De Poteſtate Diſpenſandi ſuper Impedimentis Matrimonii.

SUmmus Pontifex pro utroque foro indubiè diſpenſare poteſt ſuper impedimentis ſolùm impedientibus matrimonium. Qualia ſunt *Eccleſiæ vetitum*, ſive præceptum inhibens, ne inter certas perſonas matrimonium hic, & nunc contrahatur. *Tempus feriatum*, ſive interdictum per Adventum, & Quadrageſimam. *Sponſalia* priora, quæ impe-

diunt ſubſequens matrimonium contrahendum cum alia perſona. *Votum* Caſtitatis, non nubendi, Ss. Ordines ſuſcipiendi &c. Quæ cum lege tantùm poſitiva Eccleſiaſtica introducta ſint, ejusdem Legislatoris erit ſolvere, cujus erat ligare.

2. Ex eodem principio Papa diſpenſare poteſt ſuper impedimentis Jure tantùm Eccleſiaſtico matrimonium dirimentibus; Prout eſſe cenſentur 1. Cognatio Spiritualis, 2. Legalis, 3. Carnalis, ſeu Conſanguinitas, & 4. Affinitas, exceptis nonnullis gradibus. 5. Votum ſolemne Religionis. 6. Ordo. 7. Crimen. 8. Cultûs Diſparitas. 9. Publica honeſtas. 10. Vis. 11. Clandeſtinitas. 12. Raptus.

3. In iis verò, quæ Jure Naturali, vel Divino matrimonium dirimere noſcuntur, uti ſunt 1. Error. 2. Conditio. 3. Ligamen. 4. Impotentia. 5. Conſanguinitas in linea recta, & in primo gradu lineæ transverſæ. 6. Affinitas ex copula licita in primo gradu lineæ rectæ; in his Papa utique diſpenſare nequit.

4. Epi-

4. Episcopus ex justa causa pro utroque foro dispensare potest super impedimentis impedientibus, signanter super vetito, sive decreto suo inhibitorio, nec non super tempore interdicto: ac Voto, excepto solùm voto absoluto Castitatis perpetuæ, & ingrediendæ Religionis, utpote Sedi Apostolicæ reservato. Unde Episcopus dispensat super voto Castitatis ad tempus; & in perpetuum, si votum fuerit conditionale, vel pœnale. Similiter in voto non nubendi, debitum non petendi, Ss. Ordines suscipiendi, &c.

5. Pari authoritate dispensare potest Episcopus super denuntiationibus matrimonio præmittendis ex variis causis, quales sunt 1. Si Sponsi sint Magnates, vel Personæ Illustres, de hodierna praxi. 2. Timor, vel suspicio, ne matrimonium malitiosè impediatur. 3. Periculum, ne una pars injustè resiliat. 4. Gravis erubescentia. 5. Periculum infamiæ, vel scandali, vel alterius gravis damni Sponsorum. 6. Angustia temporis. 7. Quodvis notabile

tabile Sponſorum commodum ſpirituale, vel temporale, 8. Omnis alia cauſa, quæ Epiſcopo juſta, & rationabilis videbitur.

6. Quamvis regulariter Epiſcopus non diſpenſet ſuper impedimentis dirimentibus, Pontifex tamen Epiſcopis ab Urbe Romana longè diſtantibus, ac præprimis Epiſcopis Principibus Germaniæ concedere ſolet ſpecialem facultatem diſpenſandi pro utroque foro ſuper nonnullis impedimentis dirimentibus matrimonii; prout in particulari conſtat ex tenore Facultatum Apoſtolicarum, quæ competunt *Reverendiſſimo, & Celſiſſimo Domino D. Epiſcopo Herbipolenſi, S. R. I. Principi, Franciæ Orientalis Duci, Ordinario Noſtro Clementiſſimo*, videlicet

1. Diſpenſandi cum Pauperibus tantùm, in tertio, & quarto Gradu, ſimplici, & mixto, in Matrimonio contrahendo; in contracto verò cum Hæreticis converſis etiam in ſecundo ſimplici (æquali,) & mixto (concurrente cum tertio, vel quarto,) dummodò nullo modo attingat primum gradum;

& in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

2. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis justitiæ, ex Sponsalibus proveniente.

3. Dispensandi super impedimento Criminis, neutro tamen conjugum in mortem machinante; ac restituendi jus petendi debitum amissum.

4. Dispensandi in impedimentis Cognationis spiritualis, præter levantem, & levatum.

Quæ Dispensationes tamen non conceduntur, nisi cum clausula: dummodò mulier rapta non fuerit; & si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat.

7. Ultra Facultates recensitas competit Episcopis, etiam secluso Privilegio, potestas dispensandi pro foro interno, ac conscientiæ, super impedimentis Jure Ecclesiastico dirimentibus in casibus extraordinariis, sive magnæ & urgentis necessitatis, quando concurrunt copulativè sequentes quatuor conditiones. *1ma:* Si impedimentum sit occultum, id est, si vel nondum deductum sit ad forum exter-

num, neque in judicio probari possit, vel saltem nonnisi tribus, quatuor, vel quinque personis innotuerit, & quidem talibus, ubi non subest periculum, ne ulterius propaletur. *2da* Si adsit gravis causa; prout foret, si conjuges putatitii absq; scandalo, inimicitia, diffamatione, aliove gravissimo damno, vel præjudicio separari nequeant. *3tia* Si necessitas sit urgens, nempe ob periculum in mora, propter incontinentiam, proximum discessum, vel articulum mortis, ita ut expectari non possit, donec Dispensatio Romæ petatur, & executioni demandetur. *4ta* Si Matrimonium fuerit jam contractum præmissis denuntiationibus, in facie Ecclesiæ, ac bona fide, id est, cum ignorantia impedimenti, saltem ex una parte contrahentium. Atq; in his circumstantiis ex casu Pontificali dicitur fieri Episcopalis.

8. Demùm juxta mentem gravium DD. Episcopus insuper in casu urgentissimæ necessitatis, concurrentibus prædictis Conditionibus, dispensare potest pro foro interno, super impedimento

mento occulto Juris Eccleſiaſtici, etiam antequam matrimonium contrahatur. Sit Exemplum : Si Sponſi, eorúmve Parentes certum jam diem determinârint ad ſolemniter celebrandas Nuptias, ad quas omnia jam parata, denuntiationes factæ, hoſpites invitati, abſentes in itinere conſtituti, vel jam præſentes, ac reliqua omnia ita diſpoſita ſint, ut de Nuptiis nemo amplius dubitet. Pridie verò Sponſus, vel Sponſa in notitiam veniat, v. g. occaſione Confeſſionis, vel Examinis Parochi, quod laboret occulto impedimento dirimente, v. g. criminis, vel affinitatis, ortæ ex copula illicita, cum Matre, vel Sorore Sponſæ habita &c. In tali caſu ſi conſideratis prudenter conſiderandis non appareat medium, quin contractus matrimonii ſine periculo gravis damni, infamiæ, ſcandali, aut maximæ confuſionis differri poſſit, videtur rectè præſumi conſenſus Summi Pontificis in ordine ad diſpenſandum pro foro conſcientiæ, præſertim cum ſciat, hanc ſententiam à pluribus doceri, & in praxi obſervari. Proinde timendum non eſt

de periculo nullitatis, ſiquidem in eo caſu Eccleſia ſuper impedimentis à ſe-ipſa introductis tacitè approbaret hujusmodi Diſpenſationem, adeò ut valor matrimonii remaneret certus.

9. Notant tamen DD. quod rariſſimè contingere poſſit tanta neceſſitas, ut aliud remedium inveniri, & contractus matrimonii differri nequeat, usquedum Româ veniat Diſpenſatio, quæ per literas, & ſine expenſis à S. Pœnitentiaria facilè obtineri poterit, ut infra dicetur.

CAPUT II.

De Cauſis Diſpenſationum Matrimonialium.

I.

CUm omnis Diſpenſatio ex natura ſua ſit Juris communis relaxatio prævia cognitione cauſæ, hinc ad Diſpenſationes Matrimoniales neceſſariò prærequiritur legitima Cauſa, & talis quidem, quæ in Curia Romana, ac Herbipolenſi recepta eſt,

eſt, & ob quam regulariter diſpenſari ſolet; prout ſunt ſequentes:

2. Prima Cauſa eſt *Anguſtia Loci*; quæ tunc locum habet, quando Oratrix (non verò Orator) in loco, ubi orta eſt, propter illius anguſtiam, invenire nequit virum paris conditionis, qui ſibi non ſit conſanguineus, vel affinis. Unde locus anguſtus reſpectu Oratricis ille cenſetur eſſe, in quo Puella non invenit Sponſum ſibi æqualem, niſi conſanguineum, vel affinem; proinde ſi tali non liceret nubere, deberet vel remanere innupta, vel nubere viro, qui ſtatu, conditione, aut divitiis inferior, vel qui ætate, moribus, aut Religione diſpar foret; quævis námque inæqualitas anguſtiam loci conſtituit.

3. Neque requiritur, ut fiat nimiùm ſtricta & exacta perquiſitio, an non aliquis impedimento carens in loco reperiatur, qui ſit puellæ æqualis in ordine ad nubendum, ſed ſufficit diligentia moralis; imò ſatis eſt, ſi puella decenter ornata, & quaſi expoſita ad nubendum per aliquot annos inceſſerit, quin ab aliquo pro Sponſa fuerit expetita; cum

cum pudor, & honeſtas puellarum non patiatur, ut ſibi ipſis viros conquirant. Porro cenſetur adeſſe anguſtia loci, licet in vicinia poſſet habere ſibi æqualem non conſanguineum; cum durum cenſeatur eſſe fæminis, extra proprium oppidum nubere.

4. Excipiuntur autem à qualitate loci anguſti illæ Civitates, quæ ultra trecenta focularia, ſeu familias continent; quia non videtur credibile, in loco tam amplo reperiri anguſtiam ad effectum, de quo agitur. Quamvis ſubinde in locis etiam amplioribus, ad numerum pauciorem certarum perſonarum, v. g. Nobilium, &c. ſpecialis reſpectus habitus fuerit.

5. Secunda Cauſa eſt *Incompetentia Dotis* Oratricis, quando nempe fæmina dotem quidem habet, ſed juxta ſtatûs ſui conditionem minùs competentem, ita ut cum eadem Sponſum paris conditionis ſibi non conſanguineum, vel affinem invenire nequeat; Orator verò conſanguineus, vel affinis illam cum dicta dote in uxorem ducere intendat. Et quamvis prædicta dos ſufficeret

ceret ad nubendum æquali in vicinia, vel in alio loco extraneo, ſubſiſtit tamen Cauſa incompetentiæ, dummodò dos ſit inſufficiens ad nubendum æquali in proprio loco originis.

6. Idem procedit, ſi fœmina habeat quidem dotem competentem, ſed litibus involutam, adeò ut ſubſit periculum, ne causâ cadat; Vir autem eam ducere intendens litem velit, ac poſſit in ſe ſuſcipere, ac utiliter defendere. Quæ cauſa etiam locum habet in gravi lite Oratricis ſuper ſucceſſione bonorum magni momenti.

7. Verùm Filia non cenſetur carere dote competente, quæ quidem de facto nihil poſſidet, parentes tamen divites habet, qui tenentur de jure dotare filiam, honeſtè nubere volentem, ut proinde pater injuſtè dotem recuſans ad eam compelli poſſit. Aliud foret, ſi Parens plures habens proles, unam competenter dotando, præjudicaret reliquis: vel ſi parentes ipſi bonis ſuis ad congruam ſtatui ſuo ſuſtentationem ita indigeant, ut filiam competenter dotando, ipſi in neceſſariis defectum pate-

paterentur. Neque cauſam hanc elidit ſpes certa acquirendi cum tempore competentem dotem ex donatione, hæreditate, vel ab inteſtato, quia dos præſens requiritur ad onera matrimonii ſtatim ſubeunda.

8. Ad hanc cauſam reduci poteſt cauſa *Dotis cum augmento*, quando Oratrix dotem habet minùs competentem juxta ſtatus ſui conditionem, ita ut cum ea virum paris conditionis invenire nequeat, Orator verò non ſolùm illam cum dicta dote minùs competente in uxorem ducere, ſed etiam illius dotem juxta Oratricis qualitatem competenter augere intendit.

9. Sed quia verificatio hujus cauſæ periculoſior eſt, hinc diligenter examinari debet illius veritas, diſcutiendo, an Orator promittens hujusmodi augmentum poſſit illud reverà ſolvere, vel aſſignare Oratrici; idque mediante publica ſcriptura ſtipulari oporteret, ut verificetur, dotem eſſe auctam.

10. Accedit ad eandem cauſam ea, quæ appellatur *Pro Indotata*, quando Oratrix omninò indotata exiſtit, & Orator

illam

illam sic indotatam in uxorem ducere, ac usque ad quantitatem statui Oratricis congruam eam competenter ex integro dotare intendit; quod pariter procedit, si alius v.g. Consanguineus, vel etiam extraneus ad id non obligatus Oratrici dotem constituere, vel incompetentem augere velit, cum conditione, ut oratori nubat, & non aliàs.

11. Tertia Causa est *Ætas superadulta* Oratricis, quando illa vigesimum quartum ætatis suæ annum jam excedit, & virum paris conditionis, cui posset nubere, non invenit. Quia Ecclesia vult subvenire puellis, ne cum periculo incontinentiæ permanere debeant omninò innuptæ; Unde hæc Causa dispensandi ad Viduas non extenditur.

12. Quarta est *Copula carnalis*, habita cum Consanguinea, Affine, vel alia persona impedimentum dirimens habente; Quo in casu dispensari solet, tùm ne Oratores salubri animæ remedio maneant destituti: tùm ut consulatur famæ, & honori mulieris, quæ aliàs diffamata, & verisimiliter innupta remaneret, vel certè virum parem invenire

venire non poſſet, ſcandalis etiam, jurgiis, ac periculis corporis, & animæ inde timendis, niſi matrimonium inter eos contrahatur.

13. Si verò copula fraudulenter, & datâ opera, nempe ſub ſpe facilitandi Diſpenſationem habita fuerit, ut nempe eâ ſecutâ ſuperior reddatur facilior ad miſericordiam, id utique exprimendum foret, cum gratia exinde redderetur difficilior, utpote conferenda in eos, qui prævio dolo ſeſe eâdem indignos fecerunt. Quodſi una tantùm pars ſub prædicta ſpe peccâſſet, id pariter explicandum eſſet.

14. Quinta Cauſa eſt *Infamia, ſeu diffamatio mulieris*, orta ex nimia familiaritate, ac ſuſpecto modo converſandi inter Oratores: Puta ex oſculis, amplexibus, jugi conſortio, conventiculis ſecretis, comoratione in iisdem ædibus &c. Ita ut propterea nata ſit ſuſpicio, *licet reipſa falſa*, quod Oratores ſe invicem carnaliter cognoverint, ac proinde, niſi matrimonium inter eos contraheretur, Oratrix graviter diffamata, & innupta maneret, graviáq; exinde ſcandala, jurgia, & detractiones orirentur. Id

Id quod, ſi cum ſcientia impedimenti, vel data operâ, ſub ſpe facilitandæ gratiam, commiſſum fuerit, æquè, ut in Cauſa præcedenti, exponendum eſt.

15. Coincidit cum Cauſa 4. & 5. *Matrimonium bona fide*, ſive cum ignorantia impedimenti contractum. Maximè ſi fuerit jam conſummatum, & proles inde ſubſecuta; adeo ut ſeparatio Oratorum ſine gravibus ſcandalis, & incommodis fieri nequeat. Quo in caſu exprimere oportet, an detecto impedimento abſtinuerint à copula; An verò poſt acceptam etiam notitiam in eadem perſtiterint.

16. Sexta Cauſa eſt *propter ſedandas inimicitias*, non quaslibet, ſed graves, quando nempe inter Oratorum Parentes, conſanguineos, vel affines, jam ante tractatum matrimonii, graves inimicitiæ exortæ fuerant, & de præſenti vigent; certúmque ſit, quod ſi Oratores ipſi invicem matrimonialiter copulentur, inimicitiæ hujumodi omninò componerentur.

Inter inimicitias graves enumerantur illæ quæ fuerunt ortæ ex injuria atroci,

vel

vel ex lite judiciali ſuper omnibus bonis, & ſimiles, quæ Superioris arbitrio æſtimandæ ſunt ex circumſtantiis, & qualitate perſonarum.

17. Porrò ſimilis eſt huic Cauſæ ea, quæ appellatur *Propter extinctionem litis*, ſcilicet de re magni momenti.

Nec minùs illa, quæ dicitur *pro Confirmatione pacis*, quando inter Oratricem, & Oratorem ipſum, nec non eorum parentes, conſanguineos, vel affines graves inimicitiæ viguerunt; & licet pax inter eos de recenti fuerit inita, pro illius tamen confirmatione, opportuna creditur Oratorum deſponſatio.

18. Septima Cauſa eſt *pro Oratrice filiis gravata*, quando nimirum Oratrix vidua, quinque filiis ex alio viro ſuſceptis gravata exiſtit, & Orator illam in Uxorem ducere, dictósque ejus filios alere, & gubernare intendit.

19. Octava Cauſa eſt *Periculum Hæreſis*, quando Oratores ſunt orthodoxæ fidei, econtrà loca vicina hæreſi infecta; ut proinde timendum foret, ne ad eadem confugiant, & cum heterodoxis

doxis matrimonium contrahant cum periculo propriæ perverſionis, & pravæ educationis prolium.

Nonum motivum diſpenſandi dicitur: *Ex certis rationabilibus cauſis*; quam quidem ſpeciem diſpenſationis Curiales vocant *ſine Cauſa*, quando nempe Oratores ex Nobilibus, vel honeſtis familiis orti, ſine allegatione alicujus cauſæ ex præmiſſis, ſed ſolùm in genere, ex certis rationabilibus cauſis animum ſuum moventibus, diſpenſationem petunt. Quo in caſu id in juſtam cauſam computatur, quòd copioſior taxa pecuniaria Oratoribus ſolvenda ſit; quæ redundat in commune, Eccleſiæ bonum; cùm expendatur pro Miſſionariis Apoſtolicis, expeditionibus contra infideles, ſuſtentatione exulum ob Religionem ad Urbem confugientium; pro monte Pietatis; Item pro alendis Alumnis Collegiorum variarum Nationum, prout inclytum Collegium Germanico-Hungaricum ſuam etiam portionem exinde percipere ſolet &c. Ac deniq; pro juſta mercede Officialium, & miniſtrorum Curiæ, Univerſali Eccleſiæ inſervientium.

Accedunt prædictis omnibus nonnullæ adhuc cauſæ, ſcilicet ut bona conſerventur in familia. Pro illuſtris familiæ conſervatione. Ob excellentiam meritorum &c. Quæ potiſſimùm ad Perſonas in altiori ordine conſtitutas pertinent, & de quibus certa regula non datur.

Quodſi demùm in caſu aliquo particulari & extraordinario Cauſa gravis momenti ſubeſſe videatur, quæ in hac enùs recenſitis explicitè non comprehendatur, ea nihilominùs referri poterit ad cognitionem Superioris, qui ejus relevantiam ſatis noverit expendere.

CAPUT III.

De Diſpenſatione in forma Pauperum *nuncupata.*

I.

PRæter formam ordinariam diſpenſandi, pia Mater Eccleſia volens conſulere verè pauperibus, qui deſtituti ſunt mediis neceſſariis ad ſolvendam conſuetam

tam taxam, introduxit aliam, quæ vocatur *Forma Pauperum.*

2. Ad hunc verò effectum Pauperes ſunt, & reputantur ii, qui verè egent, ac ob defectum bonorum, ac ſtabilium proventuum ita miſerabiles ſunt, ut ex proprio labore, & induſtria tantùm vivant; neque alio modo, ſeu medio vivere poſſint; nullâ habitâ ratione eorum, quæ ſperant in futurum, v. g. titulo legitimæ &c.

3. Ad dignoſcendum autem, utrùm Oratores ex labore & induſtria tantùm vivant, attendi debent variæ circumſtantiæ, ſtatûs, ſive conditionis perſonarum, bonorum, fructuum, ſeu reddituum, æris alieni, aliorúmque onerum &c. quibus attentis is cenſetur pauper, & miſerabilis, qui vel nulla habet bona, ex quibus fructus percipere poſſit, utì ſunt in his partibus ii, qui de ſolis ordinariis ſervitiis ſuis vivunt: præſertim verò Ludimagiſtri, Scribæ, Operarii diurni, ac plerique Opifices: Vel ſi bona, quæ poſſident, ſint tam modica, ut valorem ſo. aureorum non attingant; vel ſi ſint ampliora, ære ta-

men alieno, penſionibus, ſteuris, annuo canone, aliísque oneribus, & expenſis ita gravata ſunt, ut deductis deducendis, nihil, vel parùm annuatim remaneat Oratoribus, adeò, ut nequidem ultra menſem commodè, absque labore, & induſtria exinde vivere poſſint, quales ſunt plerique Agricolæ, Vinitores &c.

4. Si tamen Oratores tot fructus, vel proventus ex bonis ſuis perciperent, ut exinde ſine ulteriori labore, & induſtria ſua, ſi non per totum annum, ſaltem per conſiderabilem ejus partem vivere, ac proinde ſaltem partem taxæ conſuetæ ſolvere poſſent, pauperes, & miſerabiles cenſendi non forent ad effectum, de quo agitur; unde AA. Practici requirunt, ut fructus, ſeu redditus annui, ſufficientes ſe ſolis pro ſuſtentatione trium menſium, exprimendi ſint in teſtimonio Paupertatis hac ratione: *Quod Oratores poſſideant bona, vel Jura, ex quibus, detractis oneribus, florenos ... percipere poſſint; in reliquis autem ita pauperes, & miſerabiles ſint, ut ex proprio labore, & induſtria tantùm vivant.*

Quod-

Quodsi verò unus tantùm ex Oratoribus esset pauper, & miserabilis, id non sufficeret ad obtinendam Dispensationem in forma Pauperum.

5. Ex his satìs liquet, qualiter, & ex quibus argumentis Parochus de Oratorum Paupertate informationem capere, ac, si opus sit, testes idoneos examinare debeat, ut ad Curiam Episcopalem congruam desuper relationem facere queat.

6. Cæterùm cum Paupertas non sit causa principaliter movens ad dispensandum, hinc præter illam, alia adhùc ex causis in Cap. 2. explicatis allegari debet. Ita quidem, ut si impedimentum dispensabile sit à Celsissimo Domino Nostro Ordinario vigore facultatum Apostolicarum, sufficiat cum paupertate allegare quamcunque causam ex prædictis.

NB. 7. Si verò Dispensatio petenda sit Romæ propter gradûs propinquitatem, v. g. in 2do æquali: in 2do & 3tio: in 2do & 4to, multò magìs si attingeretur 1mus gradus consanguinitatis, vel affinitatis; tunc pro certo tenendum est,

quod de conſtanti Curiæ Romanæ ſtylo in Dataria nunquam diſpenſetur *in forma Pauperum*, niſi propter ſolas duas cauſas, videlicet 1. propter copulam inter Oratores habitam; & 2. propter infamiam mulieris ortam ex ſuſpicione copulæ. Siquidem S. Pontifex ſolùm miſerabilibus fœminis, per copulam, vel ſuſpicionem infamatis, mediante expeditione in forma Pauperum intendit ſuccurrere, ne aliàs remaneant innuptæ, & ſcandala exinde oriantur.

8. Denique notandum eſt, quod Executor Diſpenſationis in forma Pauperum Oratoribus diſpenſatis, propter commiſſum reatum inceſtûs, vel datum ſcandalum, pœnitentiam ſalutarem imponere jubeatur; quæ in his Partibus determinata non eſt, & Parochi diſcretioni plerumque relinquitur; communiter tamen ſolent imponi peregrinatio ad loca ſacra: frequentatio Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ: vel jejunium aliquot dierum: Roſarium B. V. Mariæ ſub certo numero recitandum, vel aliud opus pium Parocho benevi-ſum, ac Oratorum ſaluti hìc & nunc proficuum.

Ca-

CAPUT IV.

Quænam in Supplicatione Oratorum, vel relatione Parochi necessariò exprimenda sint, in ordine ad obtinendam Dispensationem.

1.

QUæstio procedit de Dispensatione obtinenda pro utroque foro; ubi exprimere oportet 1. Nomen, cognomen, Diœcesim, Parochiam, ac locum Oratorum, & Paupertatem (si subsit.) 2. Impedimentum distinctè, & in sua specie proponendum est, adjecto etiam Schemate, seu Arbore Consanguinitatis, vel Affinitatis, cujus compositio aliunde satis nota est. 3. Si Oratores pluribus impedimentis affecti sint, v. g. si ex duplici vinculo consanguinei, id est, si à duplici stipite, per lineam paternam, & maternam, simùl descendant; id quod facilè contingere potest, si progenitores prævia dispensatione contraxerint: Vel si sint consanguinei, & simul affines; aut si impedimento criminis, publicæ honestatis, vel cognationis spiritualis

ſimùl laborent, omnia dilucidè explicanda ſunt. Quin & ſi unum impedimentum ſit publicum, alterum verò occultum, illud pro foro externo, hoc verò pro interno, juxta normam inferiùs referendam, explicabitur. 4. Denique exprimenda eſt vera, ac legitima Cauſa finalis, ſeu motiva, nempe una, vel plures ex iis, quæ enumeratæ fuerunt.

2. Si pro cauſa diſpenſandi allegetur copula inter Oratores habita, vel converſatio præbens anſam ſuſpicioni, licet falſæ, exprimi debet, an peccârint ſcientes, vel ignorantes impedimentum: An ſub ſpe facilitandi gratiam; idque ex utraque, vel alterutra parte. Et quamvis Oratores allegent aliam cauſam diſpenſandi, quàm copulam; v. g. anguſtiam loci, ætatem ſuperadultam &c. Si tamen etiam copula inter eos ſimul intervenerit, quæ aliis nota ſit, ea de ſtylo Curiæ reticenda non eſt.

3. Licet, juxta communem regulam, gradus remotior trahat ad ſe propinquiorem, in hac tamen materia non ſufficit exprimere gradum remotiorem,

rem, ſed propinquior etiam declarandus eſt in caſu, quo Oratores diſtant inæqualiter à communi ſtipite; hinc ſi ſint conſanguinei, vel affines in 2do & & 3tio, non ſufficit dicere eſſe conjunctos in 3tio gradu; quia in litteris diſpenſationis ſolet declarari, diſtantiam gradus propinquioris v. g. 2di, non obſtare.

4. Quando ſuper affinitate in 1mo, vel 2do gradu diſpenſatio petitur, exprimi debet, utrùm proveniat ex copula licita, vel illicita; In primo enim caſu difficiliùs diſpenſatur, quam in ſecundo. Illa quoque phraſis notanda eſt, quòd Conſanguinei dicantur eſſe tali gradu invicem conjuncti; Affines verò ſe invicem attinere.

5. Quoad publicam honeſtatem explicare oportet, an ſit orta ex ſponſalibus, vel matrimonio rato. Circa cognationem ſpiritualem dicendum eſt, unde proveniat, an intercedat filiatio, & paternitas, vel maternitas: An verò tantùm compaternitas, vel commaternitas: An hujusmodi cognatio ſit duplex, triplex, an reciproca.

De Crimine demùm explicandum eſt, an proceſſerit ex machinatione in mortem conjugis, idque alterutro, vel utroque machinante, in quo caſu non ſolet diſpenſari pro foro externo. An ex ſolo adulterio cum promiſſione: An ex adulterio, & machinatione ſimùl.

CAPUT V.

Praxis procurandi Diſpenſationem in Curia Epiſcopali, pro utroque foro.

I.

STabilitis igitur Principiis, quòd 1. Epiſcopus habeat facultatem diſpenſandi; 2. Adſit vera cauſa: & 3. Oratores ſint pauperes (ſi agatur de conſanguinitate, vel affinitate; in aliis enim impedimentis v.g. cognationis ſpiritualis, publicæ honeſtatis &c. Celſiſſimus Ordinarius etiam cum non pauperibus diſpenſare poteſt) convenit, ut ſupplicatio Oratorum, vel relatio Parochi con-

conscripiatur idiomate latino, verbis disertis, ac succincto stylo, qui substantiam reistrictè exhibeat, hoc ferè modo:

Formula Supplicationis, vel Relationis, pro obtinenda dispensatione super impedimento Consanguinitatis in 3tio gradu æquali, ob Causam *ætatis superadultæ.*

Reverendissime ac Celsissime S. R. I. Princeps, Domine Domine Clementissime.

EXponitur humiliter Reverendissimæ Celsitudini Vestræ pro parte devotorum Oratorum Francisci N & Annæ N. Diœc. Herbip. de Parochia N. vel Filiali N. ad Parochiam N. pertinente (vel quorum Orator est Parochiæ Dettelbacensis, Oratrix verò Kizingensis, vel Diœcesis Bambergensis,) Quòd, cùm dicta Oratrix vigesimum quartum annum suæ ætatis excedens, virum paris conditionis, cui nubere posset, hactenus non invenerit, hinc Oratores præfati cupiant invicem matrimonialiter copulari. Sed quia tertio gradu Consanguinitatis à com-

communi ſtipite æqualiter proveniente invicem conjuncti ſunt: prout conſtat ex adjuncto Schemate ritè formato: deſiderium ſuum hac in parte adimplere non poſſunt absque ſpeciali gratia diſpenſationis. Quare Reverendiſſimæ Celſitudini Veſtræ humiliter ſupplicant Oratores prædicti (qui revera pauperes exiſtunt) quatenûs cum iisdem clementiſſimè dignetur diſpenſare, ut impedimento hujusmodi non obſtante matrimonium ſervatâ formâ Concilii Tridentini publicè inter ſe contrahere, illúdque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & poſtmodùm in eo liberè, ac licitè remanere valeant. Quam gratiam Deus &c.

Reverendiſſimæ Celſitudinis
Veſtræ

Dettelbaci die 2. Jan. 1733.

Submiſſiſſimus Capellanus

Franciſcus Adamus Licht,
Parochus ibidem.

3. For-

Formula pro Consanguineis in 3tio, & 4to gradu, ex causa *Angustiæ loci.*

Reverendissime ac Celsissime...

EXponitur humiliter Reverendissimæ Celsitudini Vestræ pro parte devotorum Oratorum Georgii N. & Catharinæ N. Diœcesis Herbip. de Parochia vel loco N. Quod, cùm dicta Oratrix in præfato loco, propter illius angustiam, virum non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, idcirco cupiant Oratores invicem matrimonialiter copulari. Sed quia 3tio, & 4to à communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus invicem conjuncti sunt: prout ex adjuncto Schemate ritè colligitur: desiderium suum hac in parte adimplere non possunt, absque speciali gratia dispensationis. Quare Reverendissimæ Celsitudini Vestræ humillimè supplicant Oratores (quirevera pauperes existunt) quatenùs cum iisdem clementissimè dignetur dispensare, ut hujusmodi impedimento non obstante, matrimonium servatâ

vatâ formâ Concilii Tridentini publicè inter ſe contrahere, illúdque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & poſtmodùm in eo liberè, & licitè remanere valeant; diſtantiam verò tertii, & quarti gradûs non obſtare declarando. Quam gratiam Deus &c.

Eadem formula ſervire poterit, ſi Oratores ſint affines, mutatis ſolùm illis terminis: *Sed quia tertio & quarto Conſanguinitatis gradibus invicem conjuncti ſunt:* in hunc modum: *Sed quia tertio, & quarto affinitatis gradibus ſe attinent.* Et ſic in reliquis etiam gradibus, v. g. tertio, vel quarto æqualibus procedendum eſt.

Modus proponendi Cauſam *Incompetentiæ Dotis.*

Exponitur... Quòd, cùm dicta Oratrix dotem habeat minùs competentem juxta ſtatûs ſui conditionem, cum qua virum non conſanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere poſſit, invenire nequeat; præfatus verò Orator illam cum dicta minùs competente dote in uxorem ducere intendat, cupiant invicem copulari. Sed quia... Ex

Ex Causa: *Propter dotem cum augmento.*

Exponitur... Quòd, cum Oratrix habeat dotem minùs competentem juxta statûs sui conditionem, cum qua virum paris conditionis invenire nequeat, & dictus Orator illam cum dicta minùs competente dote in uxorem ducere, illiúsque dotem usque ad quantitatem juxta Oratricis qualitatem competenter augere intendat, cupiant...

Quando verò Consanguineus, vel alius vult augere dotem, sic exprimitur:

Quòd, cùm dicta Oratrix habeat dotem minùs competentem juxta statûs sui conditionem, cum qua virum paris conditionis invenire nequeat; & quidam Oratorum consanguineus, vel alius ad id non obligatus, Oratricis dotem, ita tamen ut Oratori nubat, & non aliàs, competenter augere, dictúsque Orator illam cum dicta minùs competente dote, & illius augmento in uxorem ducere intendat...

Ex

Ex Causa: *Pro indotata.*

Exponitur... Quòd, cum dicta Oratrix indotata existat, & dictus Orator illam sic indotatam in uxorem ducere, ac usque ad quantitatem secundùm modò dictæ Oratricis qualitatem, competenter ex integro dotare intendat, cupiant....

Quo in casu Dispensatio non conceditur, vel executioni non demandatur, nisi Orator priùs actu dotaverit Oratricem; unde addi solet clausula: *Si, & postquam Oratrix ex integro dotata fuerit, ut præfertur.*

Præmissa facilè applicari poterunt reliquis Causis in Cap. II. relatis, nempe propter dotem litibus involutam. Propter lites super rebus magni momenti. Ad sedandas inimicitias. Pro confirmatione pacis &c. Sequitur nunc

Formula supplicandi pro Dispensatione super impedimento publicæ honestatis, propter unam ex causis allegatis, v. g. propter angustiam loci.

Exponitur... Quòd, cum dicta Oratrix in loco præfato propter illius angustiam

ſtiam virum paris conditionis ... ſed quia aliàs dictus Orator ſponſalia de futuro cum Oratricis ſorore, vel matre, ad præſens defunctâ (vel adhuc ſuperſtite) contraxerat; & deinde Sponſalia de communi Sponſorum conſenſu, vel ex alia cauſa diſſoluta fuerunt, deſiderium ſuum adimplere non poſſunt....

Supplicatio verò pro Diſpenſatione ſuper impedimento Cognationis ſpiritualis, ſeu Compaternitatis, poſt expreſſam de more cauſam ſic formari poteſt:

... Cupiunt invicem matrimonialiter copulari. Sed quia aliàs Orator prolem dictæ Oratricis, ex alio viro ſuſceptam, vel duas, aut tres ipſius proles de ſacro fonte levavit, vel in Sacramento Confirmationis tenuit; deſiderium ſuum....

Modus proponendi Cauſam: *Propter copulam, ſcienter, vel ignoranter.*

Differt aliqualiter hic modus à præcedentibus in eo, quòd ibi primùm Cauſa, deinde Impedimentum, hic autem impedimentum ante cauſam propo-

poni

poni ſoleat, prout colligitur ex formula ſequenti:

Reverendiſſime, ac Celſiſſime S. R. I. Princeps....

EXponitur humiliter Reverendiſſimæ Celſitudini Veſtræ pro parte devotorum Oratorum Andreæ N. & Chriſtinæ N. de Parochia.... hujus Diœceſis Herbipolenſis, quod ipſis aliàs ſcientibus ſe tertio Conſanguinitatis, vel Affinitatis gradu à communi ſtipite æqualiter proveniente, invicem eſſe conjunctos (vigore annexi Schematis) non quidem ſub ſpe facilius obtinendi diſpenſationem, ſed ſolùm fragilitate carnis devicti ſeſe carnaliter cognoverint. Cùm autem, niſi matrimonium inter eos contrahatur, dicta mulier diffamata, & innupta remaneret, graviáque exinde ſcandala poſſent veriſimiliter exoriri, cupiunt matrimonialiter invicem copulari. Sed quia obſtante prædicto impedimento deſiderium ſuum hac in parte adimplere non poſſunt abſque ſpeciali gratia diſpenſationis; Idcirco humiliter ſupplicant Oratores (qui reverà pauperes exiſtunt) quatenùs Celſitudo Veſtra

Vestra secum, ut publicè servatâ formâ Conc. Trid. matrimonium invicem contrahere, ac in eo postmodùm remanere liberè & licitè valeant, Clementissimè dispensare, prolémque susceptam (si adsit) ac suscipiendas legitimas decernere dignetur. Quam gratiam Deus &c.

Quando verò copula præhabita fuit sine notitia impedimenti, sic proponitur Supplicatio:

Exponitur.... Quòd ipsi aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quò minùs possent matrimonialiter copulari, carnis fragilitate devicti se carnaliter cognoverint; ex tunc verò ad eorum pervenerit notitiam, se 3tio, & 4to Consanguinitatis gradibus esse conjunctos, vel affinitatis gradibus se attinere) prout liquet ex annexo Schemate) Cùm autem, nisi matrimonium inter eos contrahatur, dicta mulier....

Si verò præcessisset copula cum spe faciliùs obtinendi dispensationem, ita supplicandum esset:

Exponitur.... Quòd ipsis aliàs scientibus se 3tio Consanguinitatis gradu æqua-

li esse conjunctos, sub spe facilius obtinendi dispensationem sese carnaliter cognoverint.

Si una tantùm pars v. g. Orator sub tali spe peccâsset, sic exprimi posset: *Quòd ipsis aliàs scientibus se... esse conjunctos (vel se attinere) præfatus Orator sub spe facilius obtinendi dispensationem, Oratricem, similem spem non habentem, carnaliter cognoverit. Cùm autem...*

Ex Causa: *Propter infamiam mulieris, ortam ex suspecta conversatione.*

Exponitur.... Quòd ipsi aliàs scientes, se 3tio & 4to Consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos (vel affinitatis gradibus se attinere) non quidem sub spe facilius obtinendi dispensationem, insimùl familiariter conversati sint, carnali tamen copulâ inter eos minimè subsecutâ; & nihilominùs orta sit suspicio, licet falsa, quòd ipsi Oratores se carnaliter cognoverint. Cùm autem præmissa publica existant, & nisi matrimonium inter eos contrahatur, dicta Oratrix diffamata, & innupta remaneret, gravi-

á-

viáque exinde ſcandala poſſent veriſimiliter exoriri; hinc cupiunt....

Si verò Oratores ignorârint impedimentum, vel ſi familiaris converſatio habita fuerit ſub ſpe facilitandæ diſpenſationis, proceditur ut in Cauſa præcedenti.

Ex Cauſa: *Propter matrimonium bonâ fide contractum pro utroque foro.*

Exponitur.... Quòd ipſi aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter ſeſe exiſtere, quò minùs poſſent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter ſe per verba de præſenti publicè, factis proclamationibus, juxta formam Concilii Trid. nullóque detecto impedimento contraxerint, & carnali copulá conſummârint. Poſtmodùm verò ad eorum pervenerit notitiam, eos tertio, & quarto conſanguinitatis gradibus eſſe conjunctos, vigore Schematis hìc annexi; propter quod à carnali copula abſtinuerunt (vel nihilominùs in eadem perſtiterunt.) Cùm autem Oratores prædicti (qui revera pauperes exiſtunt) in hujusmodi matrimoni o remanere non poſſint abſque ſpe-

tiali gratia dispensationis; & si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri; Idcircò supplicant....

Si verò malâ fide, & cum scientia impedimenti contraxerint, in facie Ecclesiæ, vel clandestinè, cum, vel sine spe facilitandi dispensationem, & à quo tempore, id omne deberet exprimi hâc, vel simili ratione:

Quòd ipsi aliàs scientes se 3tio Consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, non quidem cum spe faciliùs obtinendi dispensationem, jam ante annos sex, vel ultra, matrimonium inter se per verba de præsenti, servatis servandis in facie Ecclesiæ, vel clandestinèi & defactò contraxerint, & carnali copulâ consummârint. Cùm autem Oratores.... & si divortium inter eos fieret...

Quando demùm super impedimento publicæ honestatis, vel cognationis spiritualis petitur Dispensatio ex prædicta Causa copulæ, vel infamiæ, sic exprimi solet:

Ex-

Exponitur.... Quòd ipsis aliàs scientibus inter sese impedimentum publicæ honestatis existere, ex eo proveniens, quòd Orator sponsalia per verba de futuro cum Oratricis Matre, vel Sorore, ad præsens defunctâ (vel adhuc vivente) contraxerit, quæ sponsalia deinde de mutuo sponsorum consensu, vel ex alia causa dissoluta fuerunt; Orator prædictus non quidem sub spe....

Quòd ipsis aliàs scientibus impedimentum cognationis spiritualis inter sese existere, ex eo proveniens, quòd dictus Orator prolem Oratricis, ex alio viro susceptam, de sacro fonte levârit, non quidem sub spe.... Oratricem cognoverit. Cum autem....

Modus supplicandi pro Dispensatione super publico impedimento Criminis, *Neutro machinante*, pro utroque foro potest esse talis:

Exponitur.... pro parte devotorum Oratorum Joannis N. & Luciæ N. Diœcesis Herbip. de Parochia N. quòd aliàs constante matrimonio inter ipsam Oratricem, & ejus virum prædefunctum,

Oratores ipſi carnis fragilitate devicti, datâ ſibi invicem fide de matrimonio inter ſe, poſt obitum viri præfati contrahendo, ſe carnaliter cognoverint; Poſtmodùm autem Oratricis maritus prædictus (neutro tamen in ejus mortem machinante) ſicut Domino placuit, ab humanis deceſſerit. Cùm autem, niſi matrimonium inter dictos Oratores contraheretur, Oratrix diffamata, & innupta remaneret, graviáque exinde ſcandala poſſent veriſimiliter exoriri; cupiunt matrimonialiter copulari; ſed ſtante impedimento.... Supplicant igitur...

Si verò impedimentum ſit occultum, Diſpenſatio petenda eſt juxta modum infra Cap. VII. præſcriptum.

Subjungitur Formula Supplicationis pro obtinenda apud Ordinarium Diſpenſatione ſuper impedimento occulto, pro ſolo foro interno.

Reverendiſſime, ac Celſiſſime S. R. I. Princeps, Domine Domine Clementiſſime.

EXponitur humiliter Reverendiſſimæ Celſitudini Veſtræ pro parte devotæ

tæ Oratricis Titiæ, Diœceſis Herbip. quòd ipſa ignara impedimenti, præmiſſis denuntiationibus, in facie Eccleſiæ bonâ fide contraxerit matrimonium, illúdque ſucceſſivè conſummaverit, ſuſceptâ etiam exinde prole (ſi adſit) cum viro, à cujus fratre, vel filio anteà fornicariè fuerat cognita. Cùm autem dicta Oratrix ob impedimentum Affinitatis ex prædictis proveniens, quod occultum eſt, in eo matrimonio remanere non poſſit absque gratia diſpenſationis: & ſi divortium inter eos fieret, gravia exinde ſcandala veriſimiliter eſſent oritura; hinc cupit à præmiſſis, de quibus ſummè dolet, abſolvi, & ſecum ſuper impedimento ad remanendum in dicto matrimonio diſpenſari. Quare Celſitudini Veſtræ humillimè ſupplicat, ut ei ſuper his de maturo remedio providere dignetur, eòquòd absque periculo incontinentiæ, vel gravis infamiæ diſpenſatio protrahi non valeat...

Formula Brevior ſuper eodem argumento.

Sempronia Diœceſis Herbip. ignara impedimenti, in facie Eccleſiæ, & præ-

missis denuntiationibus, bona fide contraxit matrimonium cum viro, à cujus fratre, vel filio priùs carnaliter fuerat cognita. Quare cùm absque scandalo separari non possint, & donec Dispensatio à Sede Apostolica adveniat, periculum incontinentiæ, aut gravis diffamationis subeßet, marito putativo impedimenti planè inscio; Hinc supplicat humiliter pro celeri remedio Dispensationis super hujusmodi impedimento penitùs occulto....

Formula Supplicationis pro Dispensatione super impedimento occulto, etiam ante contractum matrimonium, in casu extraordinario.

Reverendissime, ac Celsissime...

Cajus Diœcesis Herbipolensis, postquàm Titiam carnaliter cognoverat, ignarus impedimenti sponsalia de futuro contraxit cum Sempronia sorore; & ad nuptias publicè celebrandas diem jam determinavit, convivium indixit, hospites invitavit, cunctáque alia jam præparavit. Quarè cùm impedimentum, incujus notitiam modò devenit, sit omninò occul-

occultum, & donec Dispensatio à Sede Apost. adveniat, nuptiæ sine gravi diffamationis periculo, ex variis suspicionibus proveniente, ac sine scandalis exinde orituris, differri nequeat; Idcirco humillimè supplicat Celsitudini Vestræ pro Clementissimo remedio Dispensationis. Quam gratiam Deus &c.

CAPUT VI.

Quid Parochus advertere debeat, quando ejusdem Parochiani instant pro impetranda Dispensatione, quæ in Curia Romana expedienda est?

1.

EX præmissis Parochus satis informatus erit, in quibus casibus, & ex qualibus causis pro sollicitanda dispensatione ad Celsissimum Dominum Ordinarium recurrendum sit. Extra hujusmodi casus remedium dispensationis quærendum est apud Sedem Apostolicam. Et quamvis ex diversis motivis consultum videatur, ut Parochus Oratoribus declare

claret gravitatem præcepti Eccleſiaſtici, matrimonium in certis gradibus, & inter certas perſonas prohibentis; Si tamen ad evitandum notabile incommodum ſpirituale, vel temporale expediens ipſis credatur beneficium diſpenſationis, atque ad præſtanda ea, quæ neceſſaria ſunt, promptos ſeſe exhibeant, Paſtoris ſui ope omninò deſtituendi non ſunt; ſic enim *detrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis Charitas ſincera ſubveniat. S. Auguſt.*

2. Ne autem Oratores ſumptibus forte ſuperfluis graventur, & Reſcripta ipſa ex variis vitiis nullitati reddantur obnoxia, præſertim ex defectu debitæ commiſſionis, ſive ſollicitationis, prout experientiâ ſatis cautum eſt; Hinc denuò monentur Parochi, & Confeſſarii, à quibus ſanè tam exacta rei notitia exigi non poteſt, ut pro re nata deſuper conſulant Virum prudentem, integrum, ac hujus materiæ practicum: Vel ad ipſum Dominum Vicarium in Spiritualibus Generalem, utpote à quo tum Teſtimonium Paupertatis, tum informatio

matio ſuper precum veritate, & Executio Diſpenſationum Apoſtolicarum fieri debet : Vel denique ad Curiam Epiſcopalem, per relationem, ſeu ſupplicationem in ſcriptis recurrant, cum fiducia, quòd negotium omni charitate ſuſcipiendum, & pro casûs, ac circumſtantiarum exigentia, conſilio, & operâ in viam rectam dirigendum ſit.

3. Præprimis verò noſſe debet Parochus, ſuper quibus impedimentis, & ex quibus Cauſis diſpenſare ſoleat Summus Pontifex, vel ejusdem Dataria (quæ à Data ſupplicationum, ſive litterarum Apoſtolicarum nomen accepit) tùm ut eò citiùs Oratoribus, qui ad diſpenſationem inhabiles reperiuntur, vanam ſpem, & recurſum inutilem adimant: tùm ut in caſu habili relationem, ſive informationem ſuam ſolidè inſtruere poſſint.

4. Sciendum itaque eſt, quòd in Curia Romana diſpenſetur ſuper impedimento Conſanguinitatis, & Affinitatis in gradu 2do mixto cum 3tio vel 4to, ex omnibus quidem illis cauſis, quæ ſuperiùs in Cap. II. expoſitæ ſunt, ut plurimùm

mùm verò pro muliere viginti quatuor annorum, & ultra : ad ſedandas inimicitias, pro confirmatione pacis, pro muliere indotata : Ob anguſtiam loci, propter incompetentiam dotis : ac demùm propter copulam : & propter infamiam.

5. Verùm quæcunque ex cauſis prædictis allegetur, (exceptis ſolùm copulâ & infamiâ) ſolvenda eſt Datariæ quædam Compoſitio, uti vocatur, ſive taxa, adeò ut nunquam concedatur Diſpenſatio in forma pauperum, vel ſine taxa ſolita, licet Oratores reipſa eſſent pauperes, niſi ob modò dictas duas cauſas, ſcilicet ob præcedentem copulam, & propter infamiam Oratricis : In his enim ſolis caſibus Sum. Pontifex miſericordiâ motus erga fœminas pauperes, graviter proſtitutas, vult conſulere earundem honori, & prævertere ſcandala, & incommoda, mediante matrimonio per gratuitam diſpenſationem contrahendo ; injunctâ tamen pœnitentiâ ſalutari, & præviâ abſolutione à pœna per inceſtum incurſâ. Unde ex illo, quòd occaſione hujusmodi Diſpenſationis

nis

nis expendi ſolet, Dataria Apoſt. nihil percipit, ſed totum cedit in mercedem Officialium Curiæ, Scriptorum, ac Sollicitantium, in francationem litterarum, proviſionem Cambii, & jura Notarii inſtrumentum ſuper executione conficientis.

6. In 2do verò gradu æquali Conſanguinitatis, vel Affinitatis Sum. Pontifex regulariter non diſpenſat, niſi cum Magnatibus, ac Nobilibus, ſeu ex honeſtis Familiis oriundis; ídque ex certis rationabilibus cauſis, vel, uti ajunt, ſine cauſa, ſcilicet ſine aliqua ex recenſitis; ſed cum onere notabilis taxæ in cauſas pias applicandæ, cujus quantitas ex ratione bonorum, quæ Oratores poſſident, regulam accipere ſolet. Cum miſerabilibus tamen perſonis in forma pauperum ex charitate diſpenſatur in prædictis ſolùm duobus caſibus, ubi nempè præceſſit copula inter Oratores, vel ubi infamia ſponſæ ſecuta eſt ex ſuſpecta converſatione; injunctâ tamen ſemper gravi pœnitentiâ, arbitrio Executoris determinandâ, & cum abſolutione in utroque foro ab inceſtûs reatu,

tu, & exceſſibus commiſſis. Quæ omnia tamen procedunt in ſuppoſito, quòd copula, vel converſatio ſuſpecta non fuerit habita ſub ſpe faciliùs obtinendi diſpenſationem, ut proinde Oratores ſuper excluſione hujusmodi ſpei, vel intentionis, juramentum ante executionem Litterarum Apoſtolicarum præſtare teneantur.

7. Quodſi Oratores ſint nobiles, & pauperes, ac deſiderent diſpenſationem in forma Pauperum, ſufficit dicere, quòd ſint ex honeſtis familiis, & ex ſuo labore & induſtria vivant, & quòd ob copulam, vel converſationem Oratrix diffamata, & innupta remaneret.... in quo caſu non imponitur pœnitentia, ſed cum aliqua compoſitione diſpenſatur.

8. Quando Conſanguinitas, vel Affinitas ex copula licita, attingit primum gradum lineæ transverſæ, ita ut Oratores ſint conjuncti in gradu 1mo & 2do, vel in 1mo, & 3tio, diſpenſatio ordinariè rarò conceditur; idque ſolùm inter Principes, ac perſonas illuſtres, ex cauſa publicæ utilitatis.

Quam-

Quamvis experientiâ conſtet, quòd etiam pauperibus nonnunquam conceſſa fuerit, licet cum magna difficultate, & nonniſi in concurſu cauſarum valdè gravium, quales erant, ſi matrimonium jam fuerat nulliter contractum, præſertim in hæreſi, quando imminebant publica ſcandala, graves inimicitiæ, periculum mortis, vel probabilis timor tranſitûs ad ſectam heterodoxorum, in iis præſertim locis, ubi Oratores à Sectariis undique circumſepti habitabant. Similis cauſa eſt, quando Oratores notati ſunt aliquâ ſpecie infamiæ, quâ in Republica à reliquorum commercio arceri ſolent, prout ſunt Lictores, eorúmque liberi, ac ſimilis notæ perſonæ; Ubi tamen ſemper accedere debet diffamatio Oratricis, per copulam, vel ſuſpectam converſationem.

10. In caſu itaque, quo petitur diſpenſatio ſuper 1mo & 2do gradu Affinitatis ortæ ex copula licita, vel illicita; provenientia ejusdem Affinitatis luculenter exprimenda eſt, hac ratione: Sed quia Oratores 1mo & 2do affinita-

tis gradibus se attinent, *ex eo provenientibus, quòd Orator priùs uxorem habuerit v.g. materteram Oratricis, prout patet ex annexo schemate.* Si orta sit ex copula illicita, & notoria: *Sed quia primo affinitatis gradu se attinent, ex eo proveniente, quòd Orator matrem, vel sororem Oratricis adhuc in vita superstitem, (vel jam defunctam) carnaliter cognoverit, desiderium suum adimplere non possunt.*

9. Porrò distinguendum est inter ipsam dispensationem, & mandatum de dispensando. Per primam Papa *in forma gratiosa* actu dispensat, & impedimentum immediatè tollit. Per secundum verò non dispensat ipse, nec impedimentum removet, sed dispensari mandat *in forma commissaria*, cognitâ priùs precum veritate. Atque hic est modernus stylus Curiæ circa Dispensationes Matrimoniales, quòd Papa actu, & immediatè non dispenset, sed alteri deleget vices suas per Litteras Apostolicas, destinando eidem mandatum de dispensando Authoritate Apostolica, si narrata vera esse repererit. Unde licèt Oratores obtinue-

rint

rint à Summo Pontifice mandatum de dispensando, non poterunt tamen matrimonium licitè, & validè contrahere, donec Delegatus Apostolicus, Officialis Celsissimi Domini Episcopi, (quo nomine in his partibus venit Vicarius in Spiritualibus Generalis) prævià informatione, quòd preces veritate nitantur, cum effectu dispenset.

11. Dum igitur Parochiani, ad contrahendum matrimonium impediti, apud Parochum suum instant pro gratia dispensationis opportunè procuranda, is, negotio ritè examinato, & causâ benè perpensâ, si ita in Domino ei videbitur, casum referre poterit ad Curiam Episcopalem hâc ratione, v. g. si Oratores sint Consanguinei in 2do gradu æquali, & pro Causa dispensandi alleganda sit Copula inter Oratores habita:

Reverendissime ac Celsissime...

ANdreas N. & Margarita N. Diœc. Herb. de Paroch. vel Eccl. Filiali N. scientes (vel ignorantes) se 2do gradu æquali Consanguinitatis esse conjunctos, (prout colligitur ex annexo Schemate Consan-

guinitatis) non quidem ſub ſpe facilitandi diſpenſationem, carnaliter invicem peccaverunt. Cùm autem, niſi matrimonium inter eos contrahatur, dicta Margarita diffamata, & innupta remaneret, graviáque exinde ſcandala veriſimiliter orirentur; Oratores verò ſuum invicem contrahendi deſiderium adimplere non poſſint abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. Hinc humillimè ſupplicant, quatenùs Reverendiſſima Celſitudo Veſtra Suo in Curia Romana Adminiſtro mandare clementiſſimè dignetur, ùt Oratoribus prædictis (qui reverà pauperes, & miſerabiles exiſtunt, ac de ſuo labore, & induſtria tantùm vivunt) gratiam Diſpenſationis, ſubminiſtràtis per Oratores ſumptibus, opportunè procuret. Quam gratiam Deus &c.

Reverendiſſimæ Celſitudinis
Veſtræ

Carlſtadii die 10. Jan. 1733.

Submiſſiſſimus Capellanus
Joannes Georgius Ruperti,
Parochus ibidem.

Si

Si verò Diſpenſatio petenda ſit *propter Infamiam Oratricis*, Relatio paucis mutatis, in hanc formam redigi poteſt:

Jacobus N. & Catharina N.... ſcientes (vel ignorantes) ſe 2do & 3tio Affinitatis gradibus attinere (prout conſtat è Schemate Affinitatis hìc annexo) absque intentione facilitandi diſpenſationem, ita familiariter invicem converſati ſunt, ut quamvis inter eos copula ſecuta non fuerit, orta tamen ſit ſuſpicio, licèt falſa, quòd ipſi Oratores ſe carnaliter cognoverint. Cùm autem, niſi matrimonium inter eos contrahatur, dicta Catharina diffamata, & innupta maneret, graviáque exinde ſcandala veriſimiliter orirentur; Oratores verò ſuum hác in parte deſiderium adimplere non poſſint absque Sedis Apoſt. Diſpenſatione. Hinc ....

Quodſi Diſpenſatio in 2do, & 3tio gradu peteretur ex aliis Cauſis, in quibus locum non habent Abſolutio, Pœnitentiæ, ac forma Pauperum, v.g. ob anguſtiam loci, propter ætatem ſuperadultam Sponſæ &c. modus

referendi facilè erui poterit ex Cap. præcedenti.

Ut autem Lectori majus adhuc lumen affulgeat de vero ſenſu, & mente Pontificis diſpenſantis, ſubjungimus aliquot Reſcripta, ſeu Litteras Apoſtolicas ſuper hac materia, & primò quidem Bullam, ſeu Mandatum de diſpenſando ſuper impedimento 2di, & 3tii graduum Conſanguinitatis, vel Affinitatis *propter copulam*, in forma Pauperum.

CLemens Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Officiali Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Herbipolenſis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Oblata nobis nuper pro parte Dilecti filii Laurentii Hammer Laici, & Dilectæ in Chriſto filiæ Magdalenæ Rothin mulieris Herbipolenſis Diœceſis, petitio continebat, quòd ipſis aliàs ſcientibus, ſe 2do & 3tio à communi ſtipite provenientibus Conſanguinitatis gradibus eſſe conjunctos, Laurentius prædictus, non quidem

dem peccandi datâ operâ, ut crimine admisso hæc causa foret, Nos & Sedem Apostolicam ad misericordiam, & gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solùm vesanâ libidine victus Oratricem cognovit; Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, nisi matrimonium inter eos contrahatur, dicta mulier innupta, & diffamata remaneret, graviáque exinde scandala possent verosimiliter exoriri; Cupiunt propterea invicem matrimonialiter copulari. Sed stante impedimento hujusmodi desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Quare iidem, qui orthodoxæ fidei cultores verè existunt, & sub obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vivunt, viveréque & mori intendunt, Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenùs eis in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem, & eorum quemlibet à quibusvis Excommunicationis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris & Pœnis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantùm consequendum

quendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, discretioni tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, à quo te omninò abstinere debere mandamus, de præmissis te diligenter informes, & si per informationem eandem preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam etiam oneramus, eosdem qui pauperes & miserabiles existunt, & de suis labore, & industria tantùm vivunt, imprimis ab invicem separes: Deinde si veniam â te petierint humiliter, impositâ priùs pro modo culpæ arbitrio tuo pœnitentiâ salutari, & recepto ab eis juramento, quòd talia deinceps non committent, neque committentibus præstabunt consilium, auxilium, vel favorem, quódque sub spe faciliùs habendæ dispensationis hujusmodi incestum hunc non commiserint, ipsos ab incestûs reatu, & excessibus hujusmodi in utroque foro Auctoritate nostrâ hac vice duntaxat absolvas in forma Ecclesiæ consueta. Demùm si tibi expediens videbitur, quòd dispensatio hujusmodi sit eis concedenda,

denda, neque ſcandalum ſit ex ea oriturum, ſuper quo dictam conſcientiam tuam oneramus, tunc cum eisdem poſtquam in ſeparatione prædicta arbitrio tuo perſeveraverint, & dummodo illa propter hoc rapta non fuerit, ipſique Orthodoxæ fidei cultores verè exiſtant & ſub obedientia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vivant, viveréque, & mori intendant, ac pauperes & miſerabiles exiſtant, & de ſuis labore, & induſtria tantùm vivant, ùt præfertur, quòd impedimento Tertii Conſanguinitatis gradûs hujusmodi, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis nequaquam obſtantibus, matrimonium inter ſe publicè ſervatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, illúdque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodùm remanere liberè, & licitè valeant, Authoritate noſtrâ diſpenſes: Diſtantiam verò ſecundi gradûs prædicti eis non obſtare declares; Prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam nuntiando. Volumus autem, quòd ſi ſpretâ monitione noſtrâ hujusmodi aliquid muneris aut præmii occaſione præmiſſorum exigere,

aut

aut oblatum recipere temerè præſumpſeris, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurras, eáque tam diu innodatus exiſtas, donec â Sede prædicta abſolutionis beneficium merueris obtinere, & nihilominùs abſolutio, & diſpenſatio per te faciendæ prædictæ nullius ſint roboris, vel momenti. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſecundo, Idibus Decembris Pontificatûs noſtri anno tertio.

Præmiſſæ Litteræ vocantur Bullæ, quæ expediuntur ſub plumbeo Sigillo pendente ex filo canabis; ſed Litteræ Diſpenſationis ſuper 1mo vel 2do gradu expediuntur in forma Brevis, ſub annulo Piſcatoris.

Reſcriptum ſuper Diſpenſatione *Propter infamiam* ejusdem ferè ſtyli eſt, præterquam quòd in Narrativa ſequens differentia reperiatur:

Oblata petitio continebat, quòd ipſi aliàs ſcientes ſe 2do Conſanguinitatis, vel Affinitatis gradu eſſe conjunctos, vel attinere

tinere.... insimùl conversati sunt, carnali tamen copulâ inter eos minimè subsecutâ; Et nihilominùs orta est suspicio, licet falsa, quòd se carnaliter cognoverint. Cùm autem nisi matrimonium inter ipsos contrahatur, mulier diffamata, & innupta remaneret, graviáque exinde scandala verosimiliter orirentur.....

Litteræ Apostolicæ pro Dispensatione ob angustiam loci.

CLemens Episcopus Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Officiali Ven. Fratris nostri Episcopi Herbipolensis Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Oblata nobis nuper pro parte dilecti filii Damiani N. Laici, & dilectæ in Christo filiæ Hedwigis N. mulieris Herbip. Diœcesis ex loco Carbach ortorum petitionis series continebat; Quòd cùm dicta Hedwigis in d. loco propter illius angustiam, virum non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, cupiunt præfati invicem matrimonialiter copulari; Sed quia secundo, & quarto à communi stipite provenien-

venientibus Consanguinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Quare iidem nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenùs eis in præmissis de opportuna dispensationis gratia providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem, & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis ...., harum serie absolventes, ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati Discretioni tuæ, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apost. Scripta mandamus, quatenùs te de præmissis diligenter informes, & si preces veritate niti repereris, tunc cum eisdem, quòd impedimento tertii gradûs hujusmodi, ac constitutionibus.. non obstantibus, matrimonium contrahere...valeant, authoritate nostrâ dispenses. Distantiam verò secundi gradûs præfati eis non obstare declares, prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando... Datum.

Præ-

Præsentatis itaque Executori litteris in Originali, compertóque eas omni vitio carere, nec non preces inibi contentas veritate niti, proceditur ad executionem earundem, actualiter dispensando, per expeditionem similis tenoris:

Reverendissimi ac, Celsissimi Episcopi, S. R. I. Principis Herbipolensis in Spiritualibus Vicarius Generalis, & ad infrascripta Delegatus Apostolicus.

UNiversis & singulis præsentes inspecturis notum facimus atque testamur, qualiter nuper coram Nobis pro parte Joannis... & Margaritæ... hujus Diœcesis exhibitæ & præsentatæ fuerint Litteræ Apostolicæ in Charta Pergamena scriptæ plumbeo pendente Sigillo ex cordula fili canabis more Romanæ Curiæ, non vitiatæ, non cancellatæ, non abrasæ, neque in aliqua earum parte suspectæ, sed omni prorsùs vitio, & suspicione carentes, quas cum omni, quâ decuit, veneratione recepimus. Post quam quidem litterarum præsentationem, & receptionem fuimus pro parte prædictorum Joannis, & Margaritæ, cum instantia requi-

requisiti, quatenùs ad executionem earundem, & in eis contentorum procedere deberemus; Nósque attentâ earum formâ post summariam desuper captam informationem reperimus, dictos Joannem, & Margaritam inter se secundo & tertio Consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos, dictámque Margaritam propter hoc raptam non fuisse, omniáque in dictis litteris exposita & narrata, fuisse & esse vera, ac veritate fulciri. Idcircò postquam ambo juramentum præstiterint in manus proprii Parochi, quòd non sub spe facilius â Summo Pontifice habendæ hujusmodi dispensationis, familiaritatem, quâ inter se usque ad diffamationem gravem hactenùs conversati fuerunt, studiosè procuraverint, ipsos in utroque foro absolvimus, & aliâ pœnitentiâ salutari ipsis impositâ, cum sæpè dictis Joanne & Margarita, ut matrimonium inter se publicè servatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, illúdque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodùm remanere liberè & licitè possint, Apostolica Auctoritate Nobis concessa, & qua in hac parte fungimur, impedi-

pedimento ſecundi & tertii Conſanguinitatis ſeu Affinitatis gradûs prædicti, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, aliísque contrariis nequaquam obſtantibus, quæ idem Sanctiſſimus Dominus Noſter in præfatis litteris ſuis voluit non obſtare, diſpenſandum duximus, prout præſentium tenore diſpenſamus; diſtantiam verò ſecundi & tertii gradûs antedicti non obſtare declaramus, prolem ſuſceptam, ſiqua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo. In fidem præmiſſorum omnium præſentes manu propria ſubſcripſimus, ac per Secretarium Vicariatûs expediri juſſimus. Herbipoli Tertio Calendas Decembris 1732.

L.S.

Philippus Braun, *Vicar.*
Grlis Herbipol. ad præmiſſa
Delegatus Apoſtolicus.

Joannes Philippus Papius,
Judic. Vicar. Aſſeſſ. & Secr.

Demùm ſi Delegatus Apoſtolicus animadverteret, ab Oratoribus aliquid in Supplicatione ſubreptitiè omiſſum, vel

vel obreptitiè expreſſum, puta ſi error circa gradum, vel falſitas circa Cauſam finalem, aut vitium ſimile commiſſum fuiſſet, tunc ad executionem diſpenſationis procedere non poteſt, niſi prævièobtentâ novâ gratiâ revalidatoriâ, quæ vocatur *Perinde valere*, cujus effectus eſt, ſanare, & revalidare Litteras priùs nulliter obtentas, ita ut gratia perinde valeat, ac ſi valida fuiſſet tempore primæ impetrationis.

CAPUT

CAPUT VII.

Methodus Practica Sac. Pœnitentiariæ circa Dispensationes Matrimoniales.

1.

SAcra Pœnitentiaria Apostolica super Impedimentis matrimonii Jure Ecclesiastico tantùm dirimentibus ex justa causa dispensat pro solo foro interno, ídque tam in contrahendo, quàm contracto matrimonio, dummodò impedimentum sit occultum. Quando verò impedimentum dicatur occultum ad effectum, de quo agitur, videatur supra Cap. I.

2. Ex iisdem causis S. Pœnitentiaria dispensat pro foro interno, ex quibus Pontifex, vel Episcopus dispensare solet pro foro externo. Plerumque tamen occurrunt sequentes: Periculum scandalorum, revelationis impedimenti, perseverantiæ in peccato, prostitu-

tionis vel diffamationis mulieris, periculum inimicitiarum, aut alterius damni ſpiritualis.

3. Quia Diſpenſatio â S. Pœnitentiaria conceditur ſolùm pro foro conſcientiæ, & in Sacramentali Confeſſione, nec aliàs ſuffragatur; hinc ſi contingeret poſt matrimonium in vim hujusmodi diſpenſantionis contractum, ut impedimentum ex occulto fieret publicum, poſſet Ordinarius, vel Parochus, ſi de veritate obtentæ diſpenſationis non haberet notitiam, eos ob ſcandalum ſeparare à cohabitatione, donec aliunde diſpenſationem pro foro externo obtinuerint. Quamvis prædicti conjuges non peccarent, ſi tempore ſeparationis, remoto ſcandalo, uterentur matrimonio, cùm per ſecretam Diſpenſationem impedimentum priùs occultum verè fuerit ſublatum pro foro animæ.

4. Advertendum autem eſt, quòd ſi poſt matrimonium jam contractum per aliquem, vel aliquos denuntietur impedimen-

dimentum, quod eousque remanserat occultum, Parochi non debeant esse faciles ad illud publicandum per notoriam separationem, sed silentio imposito denuntianti seu denuntiantibus, factâque secretâ separatione, si conjuges sint in mala fide, satagant ipsis providere de opportuno remedio.

5. Monentur autem denuò Domini Parochi ac Confessarii, ut in similibus casibus quamprimùm recurrant ad promptam benignitatemReverendissimi Ordinariatûs, relictis ambagibus, quibus in circuitu ambulando non rarò multum temporis & sumptûs impenditur, non absque præjudicio animarum, & cum periculo nullitatis gratiæ obtentæ, ob defectum debitæ expositionis eorum,quæ necessariò exprimenda erant. Referant itaque Casum tectis nominibus cum suis qualitatibus, & circumstantiis ad rem pertinentibus, nec non cum causa dispensandi, juxta modum inferiùs exhibendum.

6. Potissimùm verò exprimere oportet 1. Impedimentum in specie, ejúsque

que gradum. 2. Si Oratores plura habeant impedimenta occulta, omnia exprimenda ſunt in eadem ſupplicatione. 3. Cauſa diſpenſandi & quidem una ex prædictis afferenda. 4. An matrimonium jam ſit contractum, bonâ vel malâ fide? An cum ſpe faciliùs obtinendi diſpenſationem? in facie Eccleſiæ, & prævíis Denuntiationibus? 5. Circa cognationem ſpiritualem occultam exprimi debet, an ſit filiatio, vel compaternitas ex Baptiſmo, vel Confirmatione, ſimplex, vel duplicata, & quare ſit occulta? 6. Circa impedimentum Criminis, an cum, vel ſine machinatione utriusque vel alterutrius contigerit. Nomina autem & Cognomina Oratorum meritò reticentur.

7. Notandum inſuper eſt, quòd falſitas, & error circa cauſam finalem, & principalem eodem modo vitient, ac ſubreptitiam reddant diſpenſationem pro foro interno, ſicut pro externo; ſufficit autem ſi Cauſa verificetur eo tempore, quo Confeſſarius Litteras mandat executioni.

For-

Formula Supplicationis pro Dispenſatione ſuper impedimento affinitatis in primo gradu lineæ rectæ, poſt contractum matrimonium.

Reverendiſſime, ac Celſiſſime S. R. I. Princeps...

EXponitur humiliter Reverendiſſimæ Celſitudini Veſtræ pro parte devoti Oratoris Titii, quòd ipſe aliàs conſcius (vel ignarus) impedimenti, matrimonium per verba de præſenti in facie Eccleſiæ contraxerit, & ſucceſſivè conſummarit cum muliere, cujus matrem anteà carnaliter cognoverat. Cùm autem dictus Orator ob Affinitatis impedimentum ex prædictis proveniens (quod occultum eſt) in eo matrimonio remanere non poſſit abſque ſpeciali gratia diſpenſationis; Et ſi divortium inter eos fieret, ſcandala exinde veriſimiliter exorirentur, deſiderat de præmiſſis, de quibus ſummè dolet, abſolvi, & ſecum ſuper impedimento diſpenſari, prolémque ſuſceptam (ſi qua ſit) legitimari. Quare Celſitudini Veſtræ humiliter ſupplicat, ut ei ſuper his de

opportuno remedio providere dignetur. Quam gratiam &c.

Reverendissimæ Celsitudinis
Vestræ

Kitzingæ 16. Januarii, 1733.

Submississimus Capellanus
Joannes Schober, Decanus
ac Parochus ibidem.

Si verò Parochus, ob casûs contingentiam, consultum duceret, etiam suum & Parochiæ nomen occultare, poterit supplicationem non subscriptam committere alicui amico, Herbipoli commoranti, ad effectum, ut illud opportunè exhibeat, & post congruum tempus pro expeditione instet, eámque illi transmittat.

Formula brevior pro Dispensatione super impedimento prædicto.

Reverendissime ac Celsissime S. R. I. Princeps.

Tltius, conscius (vel ignarus) impedimenti contraxit in facie Ecclesiæ matri-

matrimonium cum muliere, cujus matrem (vel filiam, vel sororem) antea carnaliter cognoverat; Quare cùm absque scandalo separari non possint, & impedimentum sit occultum, humillimè supplicat pro opportuno remedio Dispensationis. Quam gratiam &c.

Supplicatio super eodem impedimento ante contractum matrimonium, sive ad contrahendum.

Reverendissime, ac Celsissime S. R. I. Princeps....

EXponitur humiliter Reverendissimæ Celsitudini Vestræ, quòd Cajus Orator, postquam carnaliter cognovisset Titiam, bonâ fide tractatum postea habuit de contrahendo matrimonio cum Sempronia sorore dictæ Titiæ, ignarus impedimenti affinitatis. Cùm autem modò dictum impedimentum sit occultum, Tractatus verò publicus, & nisi ad effectum deducatur, scandala exinde verisimiliter sint exoritura; hinc cupit Orator ad vitanda scandala, & pro con-

ſcientiæ ſuæ quiete de præmiſſis, de quibus ſummè dolet, abſolvi, & ſecum diſpenſari. Quare Celſitudini Veſtræ humillimè ſupplicat, ut ei ſuper his de opportuno remedio providere dignetur. Quam gratiam &c.

Pro ſimili diſpenſatione ſupplicari poteſt ex aliis etiam cauſis, v. g. anguſtiæ loci, ætatis ſuperadultæ, incompetentiæ dotis &c. quando impedimentum affinitatis occultum exiſtit.

Ut verò Parochus vel Confeſſarius, quibus Reſcripta S. Pœnitentiariæ quandoque præſentantur ad effectum eadem exequendi, notitiam habeat de dictarum litterarum tenore, & clauſularum inibi contentarum ſenſu, hinc viſum eſt, hìc annectere formulam diſpenſationis ſuper impedimento occulto affinitatis in primo gradu, ex copula illicita & inceſtuoſa in ordine ad contrahendum matrimonium.

Vincentius miſeratione divina Tit. S. Onuphrii S. R. E. Presbyter Cardinalis Petræ, Pœnitentiarius major.

DIſcreto Viro Confeſſori Magiſtro in Theo-

Theologia, vel Decretorum Doctori, vel Confessario ex approbatis ab Ordinario, per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo. (a) *Ex parte Viri Latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quòd ipse de matrimonio contrahendo tractaverit cum muliere, quam, & cujus matrem antea carnaliter cognoverat. Cùm autem sicut eadem petitio subjungebat, dicta carnalis cognitio cum præfatæ mulieris matre habita sit occulta; & nisi lator cum dicta muliere matrimonium contrahat, periculum immineat scandalorum; Ideò ad dicta scandala evitanda, & pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, secúmque desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter, ut sibi super hoc de opportuno remedio providere dignaremur Nos itaque, qui Pœnitentiariæ Domini PP. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, Auctoritate Apostolicâ specialiter nobis concessâ, discretioni tuæ committimus, quatenùs si est ita,* (b) *dictum latorem auditâ priùs ejus Sacramentali Confessione,* (c) *ac sublatâ occasione, si-*

qua adhuc extat, ampliùs peccandi cum dicta mulieris matre, (d) *à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas quomodolibet propter præmissa incurrit, ab incestu, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice, in forma Ecclesiæ consueta: injunctâ ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentiâ salutari,* (e) *ac Confessione Sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur,* (f) *& aliis, quæ de jure fuerint injungenda.* (g) *Dummodo impedimentum præfatum sit occultum,* (h) *& aliud Canonicum non obstet,* (i) *cum eodem latore, quod præmissis non obstantibus, matrimonium cum dicta muliere, & uterque inter se publicè, servatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, & in eo postmodùm remanere licitè valeat, misericorditer dispenses, prolem suscipiendam exinde legitimam pronuntiando in foro conscientiæ, & in ipso actu Confessionis Sacramentalis tantùm, & non aliter, neque ullo alio modo.* (k) *Ita quòd hujusmodi absolutio & dispensatio latori in foro judiciario nullatenùs suffra-*

ſuffragentur. (l) *Nullis ſuper his teſtibus adhibitis, aut litteris datis, ſeu proceſſibus confectis*, (m) *ſed præſentibus laniatis, quas ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ laniare tenearis*, (n) *ita ut nullum earum exemplum extet, neque eas latori reſtituas; quod ſi reſtitueris, nihil ei præſentes litteræ ſuffragentur.* (o) *Datum Romæ apud S. Petrum ſub Sigillo Officii Pœnitentiariæ, &c.*

Alia Formula Litterarum Diſpenſationis ſuper impedimento occulto Affinitatis poſt contractum matrimonium

VIncentius... Diſcreto Viro.... Ex parte latoris præſentium petitio continebat, quòd ipſe aliàs matrimonium cum muliere, cujus ſororem antea carnaliter cognoverat, publicè in facie Eccleſiæ contraxit, & ſucceſſivè conſummavit. Cùm autem lator prædictus ob impedimentum ex præmiſſis proveniens in dicto matrimonio remanere nequeat abſque Sedis Apoſt. diſpenſatione, ad vitanda ſcandala, quæ ſi divortium fieret inter eos, veriſimiliter exorirentur, ac pro

ſuæ

ſuæ conſcientiæ quiete, cupit à præmiſſis, de quibus plurimùm dolet, abſolvi, ſecúmque deſuper diſpenſari. Quare ſupplicavit.... Nos igitur.... ac ſublatâ occaſione ampliùs peccandi cum dicta a mulieris ſorore ...injunctâ ei pro tam enormis libidinis exceſſu gravi pœnitentiâ ſalutari, ac Confeſſione Sacramentali ſemel quolibet menſe per tempus arbitrio tuo ſtatuendum.... Demum dummodò impedimentum præfatum occultum ſit, & ſeparatio inter latorem, & dictam mulierem fieri non poſſit abſque ſcandalo, & ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timendum ſit, cum eodem latore, ut dictâ muliere de nullitate prioris conſenſûs certioratâ, ſed ita cautè, ut latoris delictum nuſquam detegatur, (P) *matrimonium cum dicta muliere, & uterque inter ſe de novo, ſecretè ad evitanda ſcandala contrahere, & in eo poſtmodùm remanere licitè valeat, miſericorditer diſpenſes. Prolem ſuſceptam, ſiqua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo in foro conſcientiæ, & in ipſo actu Confeſſionis Sacramentalis tantùm, & non aliter, nec ullo alio modo... Datum...*

In-

Inſcriptio ad extra, ſive Superſcriptio hodie communiter ita habet : *Diſcreto Viro Confeſſario ex approbatis ab Ordinario, ſive proprio Latoris, (vel Latricis) Parocho ad intraſcripta ſpecialiter deputato, Salutem in Domino.*

Gratis ubique. (q)

Ex Sacra Pœnitentiaria.

Sequitur Explicatio Clauſularum, quas Executor præmiſſarum Litterarum ſcire, & obſervare tenetur.

(a) Denotantur qualitates neceſſariæ ad hoc, ut quis poſſit eligi Executor Litterarum S. Pœnitentiariæ. Hodie tamen Litteræ plerumque diriguntur ad Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario &c. ut proinde quivis approbatus ab Ordinario, vel alius per Litteras ſpecialiter deputatus illas exequi poſſit, etſi Doctor non ſit.

(b) Executor tenetur examinare pœnitentem, & videre, an preces veritate nitantur, vel vera ſint narrata, ſcilicet an impedimentum ſit occultum : an immineat periculum ſcandalorum : an cauſa

ſa finalis allegata ſubſiſtat. Sin minùs, ad executionem procedere non poteſt.

(c) Innuitur, quòd Confeſſarius abſolutionem, & diſpenſationem dare non debeat, niſi prævia Sacramentali Confeſſione.

(d) Non poteſt abſolvi, nec diſpenſari Pœnitens, niſi priùs occaſionem peccandi auferat, nempe proximam ac voluntariam; qualis eſt, ſi Orator cum Matre Sponſæ, vel Sorore Uxoris putatitiæ ſæpiùs peccaret ex eo, quòd in eadem domo exiſtat &c. Itaque donec occaſio actu ſublata ſit, diſpenſatio differri debet; cùm in hac materia oporteat Pœnitentibus eſſe rigidum ac ſeverum. Si verò occaſio foret neceſſaria, neque in poteſtate Oratoris eam auferre, tunc vel debet dilationem aliquam concedere Pœnitenti, vel remanenti in occaſione remedia illa præſervativa præſcribere, quæ DD. ſubminiſtrant.

(e) Quamvis injunctio gravis pœnitentiæ ſalutaris committatur diſcretioni Confeſſarii, qui ad qualitatem, ſtatum, ſexum, & ætatem Pœnitentis reflecte-

flectere debet, advertendo semper, ne usquam delictum possit detegi; posset tamen esse v. g. jejunium, vel abstinentia, per sex menses semel qualibet hebdomadâ: recitatio integri Rosarii singulis septimanis per tres menses, vel per totam vitam: recitatio Psalmorum pœnitentialium: Litaniæ, aut quinquies Pater & Ave singulis diebus per unum, duos, vel tres annos: item opera charitatis v. g. largitio eleemosynæ, in subventionem pauperum, vel utilitatem alicujus Ecclesiæ, vel aliud opus pium, dummodò verè dici possit pœnitentia gravis.

(f) Proinde Pœnitens peccaret mortaliter toties, quoties in aliquo menſe confiteri omitteret.

(g) Quæ clausula respicit etiam alias obligationes Pœnitentis, v. g. restitutionem de jure faciendam: vel alia peccata, quæ Pœnitens simùl confessus est.

(h) Quando impedimentum dicatur occultum, videatur supra.

(i) Examinandum est, an præter impedimentum expressum, seu narratum non sit aliud, quod obstet dispensatio-

ni;

ni; nam etsi bonâ fide fuisset omissum, litteræ tamen non haberent effectum.

(k1) Si detur casus, quod impedimentum fiat ex occulto publicum, & in judicium deducatur, gratia hujusmodi dispensationis in foro fori non suffragaretur; sed ad vitandum scandalum separatio fieri deberet, & recurrendum esset ad Ordinarium pro dispensatione in foro externo.

(m) Nempe sine strepitu Judicii, & in sola Sacramentali Confessione; neque desuper dari debent litteræ testimoniales in forma publica.

(n) Sive laceratis, id est, quamprimùm post executionem gratiæ id moraliter fieri poterit. Satisfaceret Confessarius, si litteras combureret, deleret, in flumen projiceret &c.

(o) Intellige pro foro externo; nam post executionem valor & effectus earum non tolleretur; quamvis Confessarius peccaret eas restituendo.

(p) De sensu, & adimpletione hujus clausulæ dicetur infra.

(q) Gratìs ubique, id est, neque Officiales Pœnitentiariæ, nec Executores litte-

litterarum poſſunt aliquid exigere, vel acceptare, etiam ſpontè oblatum, etiam ſub prætextu laboris.

10. Poſt Confeſſionem Sacramentalem factis monitionibus, ac peractis, quæ in litteris præſcripta fuerunt, nec non præmiſsâ conſuetâ abſolutione, ſubjungat Confeſſarius:

Et inſuper Auctoritate Apoſtolicâ mihi ſpecialiter delegatâ, diſpenſo tecum ſuper impedimento primi, ſeu ſecundi gradûs Affinitatis proveniente ex copula illicita à te habita cum matre mulieris, cum qua contrahere intendis, ut præfato impedimento non obſtante, matrimonium cum dicta muliere publicè, ſervatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, conſummare, ac in eo remanere licitè poſſis, & valeas. In Nomine Patris &c.

Inſuper eâdem Authoritate Apoſtolicâ prolem, quam ex matrimonio ſuſceperis, legitimam fore, nuntio, & declaro. In Nomine &c.

Et inſuper Authoritate Apoſt. mihi ſpecialiter delegatâ diſpenſo tecum ſuper impedimento primi Affinitatis gradûs, proveniente ex copula illicita, quam cum

ſoro-

ſorore &c. tuæ putatæ conjugis anteà habuiſti, ut illo non obſtante, renovato, conſenſu cum præfata conjuge, matrimonium cum illa contrahere, conſummare, & in eo remanere licitè valeas, & poſſis. In Nomine..

Et pariter eâdem Authoritate Apoſtolicâ prolem, ſiquam ſuſcepiſti, & in futurum ſuſceperis, legitimam fore decerno, & declaro. In Nomine...

11. Quæ omnia hactenùs relata caſui, ubi variatio eſt in impedimento, vel etiam Oratrici ad S. Pœnitentiariam, vel Curiam Epiſcopalem per Parochum recurrenti, mutatis mutandis, facilè applicari poterunt.

Modus ſupplicandi pro iis, qui præcedente adulterio, & fide datâ, matrinium contrahere deſiderant, prævia Diſpenſatione ſuper impedimento criminis.

Reverendiſſime, ac Celſiſſime...

Titius, & Caja humillimi Oratores vivente adhuc primâ Oratoris conjuge ſe carnaliter cognoverunt, ſibique fidem

fidem invicem dederunt, de matrimonio inter se contrahendo, si Oratoris uxor præmoriatur; quâ modò præmortuâ, neutro tamen Oratorum in ejus mortem machinante, matrimonium inter se contrahere desiderant. (a) *Cùm autem impedimentum ex præmissis proveniens sic occultum, & nisi matrimonium inter eos contrahatur,* (b) *periculum immineat scandalorum, aut in peccato perseverantia, ideò ad hæc evitanda, & pro conscientiæ suæ quiete, supplicant humillimè, à præmissis, de quibus plurimùm dolent, de speciali gratia absolvi, & secum desuper dispensari. Quam gratiam &c.*

Si ambo adulteri, vir & mulier, fuerint conjugati, ponatur: *viventibus adhuc præcedentibus Oratorum marito, & uxore:* Si verò agatur de matrimonio jam contracto, dicatur: (a) *matrimonium inter se publicè in facie Ecclesiæ contraxerunt.* (b) *Et si divortium inter eos fieret...*

Modus exequendi: *Insuper auhoritate Apost. dispenso tecum super impedimento Criminis ex adulterio, & fide da-*

tâ proveniente, ut illo non obſtante cum muliere correa (c) *matrimonium publicè, ſervatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, & conſummare, debitúmque conjugale exigere, & reddere licitè poſſis, & valeas. In Nomine....*

Pariter eâdem authoritate prolem ſuſceptam (non tamen in adulterio conceptam) & ſuſcipiendam legitimam fore decerno & declaro. In Nomine....

Si matrimonium jam fuerit contractum, dicatur: (c) *cum tua putata conjuge contrahere, conſummare, debitúmque &c.*

12. Similis ratio, cæteris paribus, habenda eſt, quando quis, vivente uxore, matrimonium cum alia, prioris matrimonii inſcia, defactò contraxit, & conſummavit.

13. Quodſi verò mors primi conjugis ſecuta fuiſſet per machinationem alterutrius partis, difficulter, & nonniſi ex urgentibus cauſis diſpenſatio conceditur, maximè ſi mors veneno illata fuerit; Et tunc committi ſolet Confeſſario, quatenùs latorem ... abſolvat, injunctâ ei gravi, & longâ, quæ ſaltem

per

per annum duret, pœnitentiâ, & Orationibus, ac pro modo facultatum ſuarum eleemoſynis, etiam ad celebrari faciendum aliquem numerum Miſſarum pro anima occiſi: nec non frequentia Sacramentalis Confeſſionis... quódque hæredibus occiſi, & aliis, quibus ipſe dum viveret, ſubvenire forſan ſolebat, ſatisfaciat, & ſubveniat in eo, in quo tenetur, cautè tamen, ne ſe prodat... At ſi uterque in mortem prioris conjugis machinatus fuiſſet, aggravari ſolet pœnitentia prædicta, v. g. ut ſingulis feriis ſextis per annum jejunent, & pro anima occiſi tribus diebus cujuslibet menſis orent, quinquaginta Miſſas, vel alium numerum celebrari faciant... Demùm dummodò omninò occultum ſit, quòd uterque latorum in mortem mariti machinatus fuerit, ac planè ignoretur, quòd mors inde ſecuta ſit, cum iisdem miſericorditer diſpenſet &c.

14. Eadem S. Pœnitentiaria ſolet etiam diſpenſativè ſubvenire iis, qui ſunt impediti ad contrahendum matrimonium, eòquòd emiſerint votum ſimplex Religionis, vel votum caſtitatis perpetuæ,

idque per viam commutationis in alia opera pia. Ad primum quidem commutandum movetur communiter, vel ex cauſa incontinentiæ, ſive ob ſtimulos carnis, propter quos vovens diffidit, ſe, ſi Religionem ingrediatur, vivere poſſe continenter. Et tunc à S. Pœnitentiaria datur commutatio ad effectum, ut poſſit matrimonium licitè contrahere: vel ex cauſa debilis complexionis, habitualis infirmitatis, ætatis gravis, vel ex quacunque alia cauſa, per quam vovens reddatur inhabilis ad ſubeunda onera Religionis, vel prudentis viri judicio diffidit, ſe ad illa ſuffe-

renda futurum parem; atque in his caſibus fit commutatio cum conditione, dummodò vitam cœlibem ducat; quando tamen non ſubeſt periculum incontinentiæ; nam tunc conceditur etiam ad effectum, ut matrimonium contrahere poſſit. Similiter dari ſolet commutatio mulieri voventi ingredi Religionem, ſi non habeat dotem ſufficientem pro ingreſſu Monaſterii, & remanendo in ſæculo ſit in periculo incontinentiæ.

Quan-

15. Quantum ad votum caſtitatis, id commutatur ad effectum contrahendi matrimonium ob cauſam incontinentiæ, cujus periculum plerumque allegari ſolet, & ſi verè ſubſiſtat, ſemper ſufficit, nempe ſi vir vel mulier vovens ita iis ſtimulis agitetur, ut continenter vivere nequeat. Item ad conſervandam nobilem familiam; nec non ſi mulier, licet ſtimulos non patiatur, maneret in periculo amittendæ pudicitiæ, utpote quia pauper, & pulchra, vel orbata parentibus exiſtit, vel etiam ob alias cauſas.

Formula autem ſupplicandi ſuper impedimento Voti Religionis, vel Caſtitatis poteſt eſſe ſequens:

Reverendiſſime, ac Celſiſſime....

EXponitur humiliter Reverendiſſimæ Celſitudini Veſtræ pro parte devoti Oratoris Stephani N. vel Oratricis Sybillæ N. quòd ipſe, vel ipſa aliàs votum ſimplex Caſtitatis vel Religionis ingrediendæ emiſerit. Cùm autem ſtimulis carnis ita agitetur, ut ſe continenter vivere poſſe

diffidat, pro ſuæ conſcientiæ tranquillitate cupit prædictum votum, ad effectum contrahendi matrimonium, in alia pœnitentiæ, ac pietatis opera commutari. Quare &c.

Alia Formula Brevior.

THeodoricus N. Laicus emiſit ſimplex votum Religionis, vel Caſtitatis perpetuæ: verùm cùm adſit, vel futurum eſſe prævideat periculum incontinentiæ, niſi nubat, ſupplicat humiliter, ſibi votum hujusmodi benignè commutari, ad effectum contrahendi matrimonium. Quam gratiam &c.

16. In ſequelam præfatæ Supplicationis ſolet à S. Pœnitentiaria demandari expeditio Commutationis, ac Diſpenſationis in forma ſequenti, & quidem primò ſuper voto ſimplici Religionis:

. . . .

DIſcreto Viro Confeſſori Salutem in Domino... Ex parte viri latoris præſentium.... petitio continebat, quòd ipſe aliàs ſimpliciter vovit Religionem ingredi. Cùm autem dictus lator continenter vivere diffidat, ideò pro ſuæ conſcien-

ſcientiæ quiete cupit ſibi præfatum votum ad effectum contrahendi matrimonium in alia pœnitentiæ opera per Sedem Apoſtolicam commutari. Quare ſupplicavit... Nos .. diſcretioni tuæ committimus, quatenus, ſi eſt ita, dictum latorem auditâ priùs ejus Sacramentali Confeſſione, à mutatione propoſiti abſolvas .. Injunctâ ei pœnitentia ſalutari, ſibique votum præfatum ad hoc, ut matrimonium legitimè contrahere, & in eo debitum conjugale exigere, & reddere licitè valeat, in Sacramentalem Confeſſionem ſemel quolibet menſe, & in alia pœnitentiæ opera perpetua per te injungenda; inter quæ ſint etiam aliqua Religionis, quam ingreſſurus fuiſſet, quæ quotidiè facere teneatur ad eum finem, ut ea adimplens meminiſſe ſemper poſſit obligationis, quâ hujusmodi voto adſtringebatur, prout ſecundùm Deum ipſius ſaluti expedire judicaveris, diſpenſando commutes in foro conſcientiæ... Datum...

17. His itaque diſpoſitis Confeſſarius Executor poſt ordinariam abſolutionem à cenſuris, & peccatis ſubjunget:

Insuper Authoritate Apost. mihi specialiter delegatâ, ego tibi votum Religionis, quod emisisti, in opera pietatis, quæ tibi præscripsi, dispensando, ad effectum licitè contrahendi matrimonium, sive ad effectum remanendi in vita cœlibe, commuto. In Nomine....

Formula verò Dispensationis, seu Commutationis Voti Castitatis talis est:

Discreto Viro.... Ex parte viri.... petitio continebat, quòd ipse aliàs simpliciter vovit castitatem servare. Cùm autem continenter vivere posse diffidat, ideò cupit sibi votum præfatum, ad effectum contrahendi matrimonium in alia pœnitentiæ opera commutari. Quare supplicavit... Nos... committimus, quatenùs... à mutatione propositi absolvas... injunctâ ei pœnitentiâ salutari, sibique votum præfatum ad hoc tantùm, ut matrimonium legitimè contrahere, & in eo debitum conjugale exigere, & reddere licitè possit, dispensando commutes in... prout secundùm Deum ipsius animæ saluti expedire judicaveris

in

in foro conſcientiæ... Ita quòd, ſi mulieri, cui conjungetur, ſupervixerit, caſtitatem ſervet, utpote eodem voto, ut priùs, obligatus: Et ſi extra matrimonium peccaverit, aut mortuâ dict à muliere, aliud matrimonium contraxerit, ſciat ſe contra votum hujusmodi facere, & debitum conjugale exigere non poſſe, & ita illum moneas. Datum...

Modus commutandi: *Et inſuper Authoritate Apoſt. mihi ſpecialiter delegatâ, tibi votum caſtitatis, quod emiſiſti, ad effectum, ut matrimonium contrahere, & debitum conjugale reddere, & exigere licitè poſſis, & valeas, in opera tibi præſcripta diſpenſando commuto. In Nomine....*

18. Denique notatu dignum eſt, quòd Sum. Pontifex quandoque per Organum Pœnitentiariæ diſpenſet ſuper gradibus valdè propinquis, etiam pro utroque foro, maximè ubi verſatur bonum, vel periculum Religionis. Sic nuper diſpenſatum fuit cum Oratoribus in 1mo & 2do Conſanguinitatis gradibus conjunctis, & à Paſtore hæretico nulliter, etiam ad mentem

hete-

heterodoxorum, copulatis, ſub ea tamen conditione, ſi priùs profeſſionem fidei Catholicæ ambo emiſerint. Alia diſpenſatio non ita pridem expedita fuit ſuper 1mo gradu affinitatis ex copula illicita, prævià Supplicatione ſequenti:

Beatiſſime Pater.

JOannes N. homo plebejus Diœceſis Herbipolenſis veſanâ libidine accenſus, imprægnavit duas ſorores, & ignarus impedimenti, de quo nil unquam audivit, cum una illarum Maria nomine optimâ fide poſt factas conſuetas denunciationes in facie Eccleſiæ contraxit matrimonium. Cùm autem ex communi rumore poſt editos ab utraque fœtus, factum ſit notorium, de matrimonii nullitate admoniti ſeparati quidem fuerunt, ſed tamen ſæpiùs convenientes, plures interea proles progenuerunt. Cúmque ſperari non poſſit, eos continenter victuros eſſe, ſimúlque concurrat periculum perverſionis à fide inter hæreticos, in quorum terris ob timorem gravis pœnæ temporalis profugi defactò morantur; Ideò facti verè pœnitentes & contriti, ſimúl-

que

que prompti ad conferendum se in regionem longinquam, ubi nulla haberi poterit ejusdem facti notitia, Sanctitati Vestræ in visceribus JEsu Christi humillimè supplicant pro benigna dispensatione manendi in matrimonio bonâ fide contracto, cum prolium legitimatione &c. Quam gratiam Deus &c.

Cum Sanctissimo.

Sanctissimus annuit petitæ dispensationi.

Proinde sequens Rescriptum desuper extensum, atque expeditum fuit:

SAcra Pœnitentiaria communicat facultatem Dilecto in Christo Officiali, sive Vicario in Spiritualibus Generali Ecclesiæ Episcopalis Herbipolensis, superiùs enuntiatos Joannem Oratorem pœnitentem, remota priùs occasione ampliùs peccandi cum dicta muliere sorore Mariæ putatitiæ uxoris, ac eandem Mariam, quatenus ita sit, à quibusvis Sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quibus propter præmissa quomodolibet respectivè innodati existunt, ab incestûs reatu, ac excessibus hujusmodi, sive per se, sive per eorum Parochum Auctoritate

te Apost. speciali, & expressâ in utroque foro absolvendi, injunctâ eis respectivè pro modo culparum ipsius Vicarii, seu Parochi arbitrio aliquâ pœnitentiâ publicâ, quæ eis prosit ad salutem. Et cum eodem Oratore, peractâ pœnitentiâ, ut impedimento ex præmissis proveniente, aliisque ... non obstantibus, matrimonium cum dicta muliere Maria, & uterque inter se de novo, renovato consensu coram proprio Parocho, contrahere, & in eo postmodùm remanere licitè valeant, eadem Apostolica Auctoritate speciali. atque expressa, prævià consultatione, annuente ipso Domino D. Clemente PP. XII. in Cathedra Apostolorum Principis feliciter sedente, in utroque pariter foro, misericorditer, ac gratis dispensandi: Prolem tam susceptam, quàm suscipiendam exinde legitimam decernendo. Datum Romæ in S. Pœnitent. Die 26. Aprilis 1732.

P. Patriarcha Hierosol. S. Pœn. Regens.

J. Bapt. Cecchius, Secretarius.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Dispensatione super impedimentis petendi debitum conjugale.

I.

CONnexa est hæc materia cum præcedentibus; útque eò luculentiùs tractetur rei propositæ argumentum, dispiciendum est 1. Quibus modis conjux contrahat hujusmodi impedimentum petendi debitum conjugale. 2. Qualiter Episcopus super eodem dispensare valeat.

2. Prima itaque causa, ex qua conjux privatur jure petendi debitum conjugale, est votum simplex castitatis sive ante, sive post matrimonium emissum. Quamvis illud possit, & teneatur reddere in iis circumstantiis, in quibus à reddendo excusari non potest; adeò, ut si aliunde excusaretur, nequidem reddere liceret; puta siquis vovisset castitatem ante matrimonium, abstinere debèret à petendo, & reddendo in primo bimestri, antequam matrimonium

nium fuerit consummatum. Quin & talis vovens non posset reconciliari conjugi adultero in ordine ad reddendum debitum.

3. Qui verò emisit votum non nubendi, peccat quidem nubendo, utpote contraveniens voto; post contractum tamen matrimonium potest petere, & reddere debitum; siquidem votum hujusmodi non æquivalet voto castitatis, sed solùm importat negationem statûs matrimonialis, quæ facta est impossibilis per matrimonium jam contractum. Quodsi verò matrimonium dissolveretur, peccaret noviter contrahendo.

4. Secunda causa est votum ingrediendi Religionem, quod impedit, & illicitam reddit matrimonii consummationem. Postquàm verò matrimonium etsi illicitè consummatum fuerit, vovens poterit licitè petere, & reddere debitum, cùm inhabilis sit ad votum suum stante matrimonio adimplendum; id quod tamen soluto matrimonio reviviscere censetur.

5. Ter-

5. Tertia cauſa impediens petitionem debiti conjugalis eſt crimen inceſtûs cum perſona conſanguinea conjugi in primo, & ſecundo gradu, non item in gradu ulteriori; & dummodò conſanguinitas fuerit cognita; per hanc enim contrahit affinitatem cum propria conjuge, quæ ſicut antecedens matrimonium dirimit, ita ſuperveniens liberum ejus uſum impedit. Interim pars innocens jure ſuo ſine culpa privanda non eſt, cui proinde pars rea debitum reddere tenetur. Imò excuſari cenſetur etiam reus ab hac pœna, ſi abſtinendo à debiti petitione apud partem innocentem criminis ſuſpicionem incurreret, & cauſam præberet odii, vel averſionis. Id quoque conſultum exiſtimatur, ut quando inceſtuoſus pœnam conſtitutam ignorat, propter periculum incontinentiæ, & legis transgrediendæ in ſua ignorantia relinquatur à Confeſſario, donec de opportuno remedio proviſum fuerit.

6. Epiſcopus diſpenſare poteſt ſuper impedimento petendi debitum, proveniente à voto, non ſolùm in iis caſibus,

ubi Episcopus super ipso voto dispensare potest, de quibus dictum est in Cap. I. Sed etiam tunc, quando ejusmodi impedimentum ortum est ex voto perpetuæ castitatis post contractum matrimonium emisso, sive cum, sive sine alterius conjugis consensu; cùm stante matrimonio simile votum dici nequeat perfectæ & absolutæ castitatis, eoquòd teneatur saltem reddere debitum, consequenter non sit habendum pro reservato; dummodò non fuerit factum per modum mutui contractûs, aut reciprocæ conventionis, vi cujus utraque pars â petendo, & reddendo abstinere licitè, & validè voverat. Quamvis etiam Episcopus in his circumstantiis ob casum urgentis necessitatis dispensare valeat; prout ex pari ratione in omnibus votis etiam Papæ reservatis facul, tate dispensandi gaudere censendus est.

7. Quin imò potest Episcopus dispensare in ordine ad petendum debitum etiam cum conjuge, qui ante contractum matrimonium emisit votum perpetuæ castitatis; adeò ut in hoc casu sufficiat recurrere ad Ordinarium, hâc vel simili formâ: *Re-*

Reverendiſſime ac Celſiſſime...

TItius emiſit votum ſimplex caſtitatis perpetuæ; exinde verò uxorem duxit ad præſens viventem, & ſucceſſivè matrimonium conſummavit. Cùm autem de ſuæ promiſſionis transgreſſione plurimùm doleat, & ob periculum incontinentiæ debitum conjugale licitè exigere poſſe deſideret; ideò pro quiete ſuæ conſcientiæ Reverendiſſimæ Celſitudini Veſtræ humillimè ſupplicat pro opportuno remedio diſpenſationis. Quam gratiam Deus &c.

8. Parem facultatem diſpenſandi habet Ordinarius cum illo marito, qui à petitione debiti impeditus eſt propter copulam habitam cum conſanguinea ſuæ uxoris in 1mo, & 2do gradu, & viciſſim. In quo caſu Supplicatio ſic formari poterit:

Reverendiſſime, ac Celſiſſime...

SEmpronius veſanâ libidine victus, ſororem propriæ ſuæ uxoris carnaliter cognovit; ac propterea amiſit jus petendi

debitum conjugale. Cùm autem de tam enormi libidinis exceſſu, qui occultus eſt, plurimùm doleat, ac debitum conjugale ob incontinentiæ periculum licitè exigere poſſe deſideret, omnémque recidivæ occaſionem abſtulerit; ideò humillimè ſupplicat pro gratia abſolutionis, ac diſpenſationis deſuper obtinendæ.

Ex quibus colligitur, quod ſicut in omni diſpenſatione cauſa alleganda eſt, ita ad diſpenſandum ſuper petitione debiti periculum incontinentiæ communiter pro cauſa afferatur.

CAPUT IX.

Quomodò revalidandum ſit matrimonium invalidè contractum?

1.

CUm non rarò contingat, matrimonium inter eos, qui impedimento dirimente, occulto vel publico laborant, ex defectu diſpenſationis, nulliter & invalidè contrahi, neceſſarium viſum eſt, ut exigente id ordine materiæ, & rei gra-

gravitate ea hìc ſubnectantur, quæ in praxi ad modum revalidandi dictum matrimonium pertinent.

2. Suppoſito itaq; communi Principio, quod in hujusmodi caſu, ad revalidationem contractûs matrimonialis non ſufficiat unius partis, ſed utriusque novus conſenſus exteriùs manifeſtatus requiratur tanquam ſubſtantia actûs, & materia Sacramenti, cùm prior conſenſus inter perſonas inhabiles præſtitus pro nullo, & non præſtito reputandus ſit; hinc utraque pars, quacunque demum ratione, ad novum hunc, & expreſſum conſenſum pro præſenti declarandum opportunè adducenda eſt; Quod facilè fiet, quando utraque eſt conſcia impedimenti; tunc enim, ſi priùs adhibita fuerit forma Concilii Tridentini, & impedimentum ſit occultum, poterunt vel coram ſolo Parocho, aut Confeſſario, ſolita verba: *Ego vos conjungo*: proferente: vel ſecretè inter ſe ſolos ſive verbo, ſive nutu, ſive per copulam maritali affectu habitam conſenſum mutuum declarare. Aliud foret, ſi impedimentum ex occulto evaſiſſet

publicum, tunc enim ad avertendum ſcandalum præſentia Parochi, & duorum Teſtium denuò adhibenda foret.

3. Quodſi verò alterutra pars ignara ſit impedimenti, allaborandum eſt, ut aliquo modo, prudenter tamen & cautè certior reddatur nullitatis matrimonii priùs contracti, innuente id ſtylo S. Pœnitentiariæ juxtà dicta Cap. VII. Unde difficultas in eo verſatur, quomodò hujusmodi certioratio inſtitui, & conſenſus de novo elici, ac præſtari poſſit, & debeat. Et verò Parochus, vel Confeſſarius inſtruendo hac in parte pœnitentem eò majori cautelâ procedere debet, quò periculoſius eſſe poteſt, ne pars inſcia, poſt acceptam notitiam, cum ingenti ſcandalo, & magnis incommodis recedat à propoſito, gaudendo ſuâ libertate, vel ſaltem ſuſpicionibus, ac diffidentiis exponatur, præſertim ſi pars conſcia ſit mulier, quæ habeat virum ſagacem.

4. Varios autem modos reperire eſt apud DD., quibus prædicta nullitas, ſublato impedimento, inſinuari, ac novus conſenſus elici poſſit. Primus qui-

quidem reſpicit caſum, in quo conjuges putativi cum pace, & amore ita convivunt, ut ex manifeſtatione nullitatis timenda non ſit offenſa, aut deſertio, adeò ut conſcius impedimenti candidè dicere poſſit ignoranti, " quod ſentiat ſe ab aliquo tempore " agitari gravi conſcientiæ anxietate, " quaſi verò eorum matrimonium non " fuerit validè contractum; optimum " autem pro tranquillando animo re- " medium fore, ſi de novo contra- " hant, ſeſéque novo conſenſu in con- " juges accipiant, id quod reipſa pars " conſcia alteri declarare debet, ſe " eam de novo in conjugem accipere. " Quodſi illa pariter annuat, ac reci- " procam declarationem faciat, ſal- " vum erit matrimonium; absque eò, quod reveletur cauſa nullitatis, vel anxietatis, præſertim ſi fundetur in crimine, ſed dicere poteſt, " ſe tempore " contractûs non ſatis intellexiſſe na- " turam, & qualitates matrimonii va- " lidi, proinde non habuiſſe verum, & " ſufficientem conſenſum; id quod ſine mendacio aſſereret. Atque hæc

cautela ſatis prodeſſe poterit; & quamvis talis certioratio non ſit expreſſa, habetur tamen pro æquivalenti.

5. In iisdem circumſtantiis nullitas aperiri poterit conditionatè (conditione de præterito, jam purificatâ) dicendo: " Si matrimonium noſtrum ex " aliqua cauſa fuiſſet nullum, novús- " que conſenſus requireretur, vísne " (*non ſolùm velles*) illud reconvali- " dare, & ponísne novum conſenſum " in illud, ſicut ego eundem nunc po- " no? Si reſpondeat, Ita, volo, conſentio pariter, validitas in tuto poſita eſt.

6. Si verò ſecundò ex hujusmodi revelatione nullitatis veriſimiliter timeatur periculum divortii &c. tunc conſcius impedimenti majori circumſpectione uti, & non ex abrupto de hoc argumento diſcurſum movere debet, ſed narrare poterit caſus infelicis divortii horum, vel illorum: nec non exhibere ignoranti quæcunque charitatis, & amicitiæ obſequia, & quando ſe eum ad reciprocum erga ſe amorem induxiſſe credet, dicere poteſt hoc ferè modo:

modo: " Sum omninò perſuaſus, quòd " me ita diligas, ut ſi matrimonium " inter nos contractum non fuiſſet, " vel non ſit validum, velles me ac- " cipere adhùc de præſenti in conju- " gem: & nunquid ita erga me affe- " ctus es, ut me de facto ita accipias? " Si reſpondeat, Ita volo, te accipio: " tunc alter ſubjungat: Et ego pariter " ſic volo, te ſic accipio.

7. Si denique tertiò putativi conjuges vivant in jurgiis, diſcordiis &c. vel ex alio etiam capite prævideatur novus conſenſus difficulter obtinendus, tunc nonnulli graves AA. cenſent, tutò omitti poſſe omnem certiorationem, ac ſufficere, dummodò novus conſenſus obtineatur per hoc, quod ignorans affectu maritali petat, vèl reddat debitum, vel continuet in jugi cohabitatione. Verùm cum hæc opinio non videatur ſatis tuta, ſequenda non eſt, niſi in caſu extremæ neceſſitatis, in quo fœmina periclitaretur de vita, vel de ſalute animæ; ſiquidem id, quod inſufficiens, vel indecens reputatur Sacramento extra caſum neceſſitatis, tale

non eſt urgente ipsâ neceſſitate. Quin & caſus rarus fortè erit in praxi, quòd poſt adhibitam omnem induſtriam, inveniri non poſſit breve ſaltem tempus, quo conjux ignarus diſponi queat ad reciprocum affectum, ac proinde ad aliquem ex præcedentibus modis opportunè adhibendum.

8. Porrò ipſe Parochus, Confeſſarius, vel alius vir prudens negotium in ſe ſuſcipere poſſet, ac prævio appoſito diſcurſu v. g. ſuper mirabili Dei providentia in deſtinandis conjugibus, adeò, ut meritò dicatur matrimonia in cœlo præparari: vel ſuper dignitate hujus Sacramenti, ejúsque effectibus, nempe gratiis Sacramentalibus, quæ tam ſalubres, ac neceſſariæ ſunt, ad ſupportanda onera ſtatùs: quódque ſimilibus auxiliis deſtituantúr ii, qui nulliter contrahunt ob latens aliquod impedimentum; id quod ex diverſis cauſis, etiam utrinque innocenter, & bonâ fide contingere poteſt. Imò quod credibile ſit, multa matrimonia nulliter, & ſine dictis gratiis fuiſſe contracta, propter infauſtas eorum ſequelas, contrarietates &c. Unde

dex-

dexterè iisdem ſuadere poteſt, ut inter ſe de novo contrahant, ſaltem ſub conditione, ad ipſius interrogationem v. g. " Nunquid vos invicem ita eſtis diſpoſi- " ti, ut ſi ex aliqua cauſa matrimonium " veſtrum non eſſet validum, velitis " ambo ex nunc de novo contrahere? " Si uterque reſpondeat, Ita volo: " matrimonii Sacrâmentum perficitur, " & gratiæ Sacramentales conferun- " tur contrahentibus.

9. Eâdem methodo uti poterunt etiam ſoli conjuges, uno dicente v. g. " Sit " benedictus Deus, quòd te mihi de- " ſtinaverit in conjugem: ita erga te af- " fectus ſum, ut ſi ex aliqua cauſa ma- " trimonium noſtrum non eſſet fir- " mum, velim tecum etiam ex nunc " de novo contrahere. Utique etiam " tu me ſimiliter diligis. Altero re- " ſpondente: Sic volo & ego, & ex " nunc de novo te accipio, ceſſabit " omnis difficultas.

10. Præprimis verò monetur Parochus, vel Confeſſarius, ut implorato divino lumine, & examinatis conjugum geniis, moribus, affectibus, & conditione, ta-

lem

lem in praxi modum adhibeat, quem hìc & nunc magis expedire judicaverit.

CAPUT X.

Quales cautelæ à Parocho adhibendæ ſint circa ſtatum liberum matrimonio jungendorum?

1.

PErſonæ liberæ ad effectum contrahendi matrimonium, vel ſunt, & fuerunt omninò ſolutæ, vel conſtitutæ in viduitate; harum libertas difficiliùs probatur, quàm illarum; nam cùm primum matrimonium ſit in poſſeſſione, & quilibet vivere præſumatur, mors conjugis plenè probanda eſt, & moraliter certa eſſe debet, antequam parti ſuperſtiti permittatur ad ſecunda vota tranſire. Quæ quidem certitudo moralis facilè haberì poterit, ſi mors contigerit in vicinia; ſecùs eſt de partibus remotis; è quibus non ſemper adduci poſſunt notitiæ ſufficientem certitudinis gradum conſtituentes; ut proinde magna hac in re cautela adhibenda ſit ad evi-

evitandum periculum polygamiæ, ac multa alia incommoda, quæ ſatis patent.

2. Quamvis autem Parochi partes non ſint, cognoſcere ſuper qualitate, & relevantia hujusmodi probationis, v. g. An notitiæ, & atteſtationes ſuper obitu conjugis ſint legales, & authenticæ, ſed cognoſcendas remittere debeat ad Celſiſſimum Dominum Ordinarium; opportunum tamen erit, ſi Parochus informatus ſit in iis, quæ ad hoc argumentum pertinent, quatenùs in Relatione ſua fundamenta ad definiendum negotium præparatoriè ſubminiſtrare poſſit.

3. Totus itaque rei cardo vertitur in hoc, quando nuntium certum, ſeu certitudo moralis de morte conjugis haberi, ſive obitus ejusdem ſufficienter probari cenſeatur. Qua in re ſequentes regulæ à DD. receptæ, vix non totam difficultatem exhaurire poterunt.

4. Imò. Reſultat hujusmodi certitudo moralis ac plena fides ex atteſtatione Parochi, extracta è Libro, in quo deſcribi ſolent nomina, & cognomina defun-

defunctorum in ſua Parochia; dummodò certò conſtet de manu atteſtantis ſeu ſcribentis, eáque ſit debitè recognita: Vel ſi dicta atteſtatio ſit redacta in formam legalem, & authenticam, id eſt, ſi munita ſit fide, & legalitate Ordinarii, vel Curiæ Epiſcopalis, in ſimili tenore:

" Nos.... Dei & Apoſt. Sedis gra-
" tiâ Epiſcopus N. vel ejusdem Suffra-
" ganeus, Vicarius Generalis, vel Of-
" ficialis, harum ſerie fidem facimus,
" & atteſtamur, qualiter retroſcriptus
" Parochus NN. talis re ipſa ſit, qualem
" ſe publicat, quódque ejusdem ſcri-
" pturis, & atteſtationibus indubia fi-
" des adhibeatur. In quorum majus
" robur præſentes ſubſcripſimus, & Si-
" gillo noſtro muniri fecimus...

Subindè legalitas in forma adhuc ſolenniori adjicitur, dum nempe coram Ordinariatu, vel aliâ perſonâ in publicâ authoritate conſtitutâ, exhibetur, & inſpicitur ipſa Matricula Parochialis, & deſuper conficitur Teſtimonium, " quod ſcilicet in Libro Mortuorum " Pa-

" Parochiæ ... benè compacto, ac cu-
" ſtodito, & perſonaliter inſpecto, de-
" ſcripta habeantur ea, quæ ſequun-
" tur, videlicet...

§. 2dò. Probatur mors conjugis per atteſtationem Magiſtratûs Eccleſiaſtici, Civilis, & Militaris: nec non per Inſtrumentum publicum, & authenticum, à Notario, vel aliâ perſonâ publicæ authoritatis confectum.

6. 3tiò. Per librum Hoſpitalarii, in quo deſcripta ſunt nomina eorum, qui in Hoſpitali mortui ſunt. Similiter per librum Officialis, cui vigore muneris incumbit, tales mortuos annotare; ſiquidem regulariter probat liber confectus ab eo, qui ad id ex officio tenetur. Ipſæ tamen atteſtationes è prædictis libris extractæ, ſufficienter recognitæ, aut legalizatæ eſſe debent.

7. 4tò. Certum nuntium mortis haberi dicitur, quando de eadem deponunt duo teſtes de viſu, quales dicuntur etiam illi, qui licet cadaver non viderint, interfuerunt ſepulturæ, exequiis &c. vel qui viderunt ſepulchrum, & conſanguineos defuncti in luctu, ſimúlque

múlque publicè audierunt, talem conjugem esse mortuum, sepultum. Cæterùm in examinandis hujusmodi testibus de visu, magnâ industriâ opus est, præsertim circa causam scientiæ, & quoad personæ defunctæ circumstantias, nomen, cognomen, staturam, ætatem, patriam, professionem &c. ne fortè committatur error circa personæ identitatem.

8. 5tô. Plenè probari dicitur obitus per depositionem unius testis, roboratam aliis adminiculis, indiciis, præsumptionibus violentis, & conjecturis gravis momenti. Cujusmodi sunt periculosa prælia, & obsidiones, quibus interfuit, & ubi multi ceciderunt. Si moratus est in loco, ubi pestis grassabatur: si fuerit senex, aut æger, & insuper diu non comparuerit, nihílque de eo auditum fuerit: si priùs pacificè convixerit in matrimonio, & tamen non redierit, licet potuisset, ac promisisset redire &c. Denique si cum uno teste de visu jungatur fama, quæ tamen probanda est cum suis requisitis, & per duos testes omni exceptione majores,

jores, qui deponant ſe audiviſſe à fide dignis, vel à majori parte populi; ac fulcienda eſt causâ rationabili, unde ortum habuit. Quin & ipſe conjux ſuperſtes, licet ejus teſtimonium, utpote in propria cauſa, exceptionem patiatur, quandoque deſuper auditur, & ad coadjuvandas probationes eidem juramentum defertur ſuper obitu conjugis, vel ſaltem quod nec ſciat, nec credat eum amplius eſſe in vivis. Quæ omnia prudenti Judicis arbitrio relinquuntur, qui conſideratis reitotius momentis concludere debet, an in caſu conſtet de certitudine morali ad effectum, de quo agitur.

9. Quomodo verò, & ſuper quibus punctis in praxi examinari poſſint teſtes prædicti, id ſuggerunt ſequentia Interrogatoria:

" Moneatur præprimis teſtis de gra-
" vitate negotii, religione juramenti,
" ac pœnis perjurii. *Vid. pag. 124.*
" 1mò. An teſtis cognoſcat N. con-
" jugem N. à quo tempore, & quâ
" occaſione, cujus fuerit ſtaturæ, con-
" ditionis &c.
" 2dò. An dictus N. ſit vivus, vel

" mor-

" mortuus: ſi ſit mortuus; ubi, ex
" quo morbo, à quanto tempore, an
" viderit cadaver: & quæ ſit cauſa
" ſcientiæ.

" 3tiò. Ubi dictus N. fuerit ſepultus:
" In qua Eccleſia, ſive Parochia: Qui-
" bus præſentibus, an Parocho comi-
" tante: Et quæ ſit cauſa ſcientiæ?

" Si conſtet ex depoſitione teſtium,
" ubi conjux fuerit mortuus, danda
" eſt opera, ut procuretur fides Pa-
" rochi de morte, legalizata ab Ordi-
" nario. Sin minùs, ſtari poterit le-
" gali teſtium depoſitioni.

" Pro teſtibus verò in hac materia
" recipi poſſunt conſanguinei, potiùs
" quidem, quàm extranei, uti & cives
" potiùs, quàm forenſes, quia præſu-
" muntur eſſe magis informati.

10. Ex his facilè colligere licet, quantæ authoritatis ſit liber Parochialis, in ordine ad faciendam fidem in re tanti præjudicii; ut proinde Parochus juxta mentem DD. graviter peccare cenſendus ſit, qui negligit exactum tenere hujusmodi librum Mortuorum, omittendo diſtinctam eorundem annotationem.

Id

Id quod pariter de Matricula Baptizatorum, & Copulatorum ajunt verificari.

11. Denique pro foro conſcientiæ notatu dignum eſt, quòd ſi ambæ perſonæ cum rationabili utrinque dubio, vel cum ſola probabilitate de morte prioris conjugis culpabiliter contraxerint, neutra pars poſſit licitè petere, & reddere debitum, niſi ex juſta cauſa dubium practicum hic & nunc deponant. Si verò unus tantùm è conjugibus dubitaverit, ſtante dubio reddere quidem licitè, at petere debitum non poteſt.

Quodſi dubium rationabile ſuperveniat matrimonio bonâ fide jam contracto, tenentur conjuges, vel ſaltem is, cui dubium ſupervénit, in veritatem inquirere, ac interim à petendo debito abſtinere, quamvis reddere poſſit ignoranti. Si autem poſt diligentem inquiſitionem nequeat erui veritas, dubium deponi poteſt ex cauſa poſſeſſionis cœptæ cum bona fide. Si denique certa notitia ſuperveniat, quòd prior conjux adhuc vivat, cum eo reſtaurandum eſt matrimonium, eique cohabitandum.

Quodſi nunc quidem non ampliùs vivat, at tempore illo adhuc vixerit, quo ſecundum matrimonium contractum fuerat, hoc per novum conſenſum convaleſcere, & juxta modum ſuprà declaratum revalidari debet.

CAPUT XI.

Quid præcavendum ſit circa libertatem, ac matrimonium Exterorum, & Vagorum:

1.

EXteri, ſive alienigenæ ſunt, qui ex alio regno, vel provincia originem ducunt, ac in patria noſtra matrimonio jungi deſiderant; quibus tamen Parochus aſſiſtere nequit, niſi coram Ordinario, vel ejus Deputato ſufficienrer conſtiterit, eos eſſe liberos à ſponſalibus, vel matrimonio cum alia perſona priùs contractis, ut proinde licentia eos copulandi in ſcriptis expectanda ſit.

2. Quamvis autem quilibet præſumatur liber, utpote qui talis naſcitur,

hæc

hæc præſumptio tamen, præſertim in perſonis adultioribus, quæque aliunde diſceſſerunt in ſtatu jam nubili, adjuvanda eſt tali probatione, ex qua pariter moralis certitudo reſultet. Id quod fieri poteſt, vel per aliquod, etiam civile, documentum authenticum, prout ſunt litteræ patentes ſuper legitima nativitate, dimiſſoriæ, manumiſſoriæ &c. vel per legalem atteſtationem Parochi Originis ſuper factis denuntiationibus in ſua Parochia, absque eo, quod detectum fuerit impedimentum: vel per depoſitionem duorum teſtium, vel denique per ſponſorum juramentum, aut fidem in vim juramenti præſtitam, junctis aliis adminiculis, ac præſumptionibus favorabilibns.

3. Ut verò pleniùs conſtet, ſuper quibus Interrogatoriis teſtes in hunc finem producti potiſſimùm audiri ſoleant, ea hìc referenda duximus:

Imprimis teſtis monetur de gravitate juramenti in hoc præſertim negotio, ubi divina ſimùl, & humana majeſtas lædi poteſt. *Ut infra pag. 124.*

Interrogatur 1. *de nomine, cognomine, patriâ, ætate, religione, exercitio, & habitatione.*

2. *An testis sit civis, vel exterus; & à quo tempore sit in loco, in quo deponit?*

3. *An ad examen accesserit sponte, vel requisitus, & à quo? an instructus, an corruptus dato, vel promisso.*

4. *An cognoscat ipsos contrahere volentes, & à quanto tempore; in quo loco, & quâ occasione: cujus qualitatis, vel conditionis existant?*

5. *A quo tempore accesserint ad hanc civitatem, vel locum: unde venerint, an simul, vel separatim?*

6. *In qua Parochia hactenùs habitârint, vel habitent de præsenti?*

7. *An testis sciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus habuisse aliquando uxorem, vel maritum, vel contraxisse sponsalia, & unde hoc sciat? Quodsi responderit, non habuisse uxorem, vel maritum: interrogatur de causa scientiæ; & an credat possibile esse, quòd aliquis ex iis fuerit conjugatus, quin testis id nescîerit, & quare non?*

8. Si

8. Si responderit, contrahentes quidem aliàs fuisse conjugatos, sed uxorem, vel maritum esse mortuum; interrogatur de loco, & tempore mortis, & quomodo ipse testis hoc sciat? & proceditur super probatione mortis, prout dictum est Cap. præced.

9. Item interrogatur, an post mortem conjugis defuncti aliquis ex contrahere volentibus transierit ad secunda vota?

10. An esse possit, quòd aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo, quod testis id sciat, vel audiverit? & cur non?

Quibus omnibus perpensis Ordinarii erit decernere, an sit concedenda licentia, nec nè.

4. Transeundo nunc ad Vagos, quales sunt ii, qui nullibi certam, ac stabilem sedem, nec verum, nec quasi domicilium habent, sed hinc inde vagantur: vel qui priori vero, aut quasi domicilio relicto aliud quærunt, adeò, ut etiam factâ jam animo destinatione, semper adhuc sit, & maneat vagus, donec reipsa, & de facto aliud domicilium obti-

 neat.

neat. Quare is, qui à domicilio originis, vel habitationis discedit, animo alibi v. g. in Hungaria, domicilium constituendi, primo die, quo discedit, jam est verus vagus, quantumvis certò sciatur, ubi natus sit, vel ubi ejus parentes etiamnum existant.

5. Hujusmodi Vagorum Parochus proprius in ordine ad matrimonium, est quivis Parochus illius loci, ubi vagi actu versantur; prout etiam alia Sacramenta coram eodem percipere valent; & nisi talis iis assistere posset, impossibile ipsis foret, matrimonium contrahere. Quæ doctrina etiam procedit de casu, quo unus tantùm ex contrahentibus est vagus.

6. Ut autem Parochus licitè simul, & validè matrimonio vagorum assistat, sub gravi reatu tenetur præmittere diligentem inquisitionem de statu, & conditione eorundem, ne scilicet obstricti impedimento ligaminis, vel alio dirimente temerè copulentur. Tenor dispositionis Concilii Trid. *Sess. 24. de reform. matrim. c. 7.* valdè punctualis est: *S. Synodus Parochis præcipit, ne hominum*

num vagantium, & incertas ſedes habentium matrimoniis interſint, niſi priùs diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Unde non ſolùm accuratum examen ſuper libero eorum ſtatu, & habilitate ad contrahendum inſtitui, ſed etiam juramentum ſuper carentia impedimenti ab iisdem exigi ſolet. Cúmque hujusmodi Commiſſio Parochis, præſertim remotioribus à Curia Epiſcopali, ſæpiùs demandetur, hinc ea ſubjungimus, quæ in tali caſu obſervanda ſunt.

7. Interrogatoria, quæ Vagis regulariter proponere oportet, ſunt ſequentia:

1. Interrogetur vagus, vel vaga, quodnam ſit ejus nomen, & cognomen?

2. Quis ſit locus originis, ſeu patria?

3. Quot ſit annorum?

4. Cujus conditionis, & religionis?

5. Quinam ſint ejus parentes, cujus ætatis, conditionis, & domicilii?

6. A quo tempore deponens vagus diſceſſerit à loco ſuæ nativitatis?

7. *An tempore intermedio nunquam in patriam redîerit? ſi reſpondeat, ſe illuc reverſum eſſe, Quæratur*

8. *Quanto tempore ibidem remanſerit?*

9. *Ubi locorum extra locum ſuæ originis verſatus ſit? jubeatur recenſere omnia loca, quantum fieri poterit, ac ſpecificare tempus, quo in iisdem commoratus eſt.*

10. *An ex dictis locis deferat ſecum litteras commeatûs, Paſſporti aut dimiſſorias: vel an aliis Teſtimonialibus indè inſtructus ſit?*

11. *An ſuper vitæ, ac morum ſuorum honeſtate aliquod teſtimonium in ſcriptis producere poſſit: Quodſi aliquid ſimile producat, fiat diligens examen, an ſcripta, dicta, ætas, tempus, legalitas, & reliqua ritè concordent.*

12. *An deponens nunquam in patria, vel alibi ſponſalia, vel matrimonium contraxerit? Si affirm. vid. Cap. X.*

13. *An poſſit afferre teſtes ſibi notos in patria, vel in aliis locis, ubi moratus eſt, vel à ſervitiis fuit, qui ſcientiam habeant de ſtatu ejus libero, ac de eodem deponere poſſint?*

14. Quo

14. Quo in loco diuturniùs, & ubi novissimè commoratus sit? Si nominet locum vicinum, eò scribendum foret pro informatione super ejus vita ibidem transacta, ac libertate &c.

15. An noverit, quàm enorme delictum sit Polygamia, sive pluralitas virorum, vel mulierum? quam gravem reatum incurrat Polygamus apud Deum, & homines, quámque gravibus pœnis propterea puniatur?

16. An possit, & paratus sit, libertatem statûs sui jurejurando confirmare?

17. An sciat, & intelligat, quid sit Juramentum?

8. His peractis fiat desuper Relatio in scriptis, & remittatur ad Curiam Episcopalem, unà cum Protocollo Examinis, ac depositionibus, sive responsionibus ad Interrogatoria, ita distinctè quidem, ut ad dexterum latus folii scribantur Interrogatoria, ad sinistrum verò Responsiones, hoc ordine:

1. Wie Deponent heisse?
2. Wo er gebürtig seye?
3. Wie alt er seye?
4. Was für Stands/ Handthierung/ und Glaubens er seye?

Ad 1. Rt. Georg Manger.
2. Zu Rastatt im Badischen (Gebiet.
3. 25. Jahr.
4. Ein Schuhmacher, Gesell/ Catholischer Religion.

14. Was

5. Wer ſeine Eltern ſeyen / ob ſie noch leben / wie alt / wes Stands / uud wo ſie wohnhafft?	5. Ferdinand Manger / Zimmer-Meiſter / und Dorothea ſeine Ehefrau / ſeyen noch im Leben / beyde 56. Jahr alt / ſie wohnen zu Speyer.

9. Quodſi Parocho reſcribatur, ut à Vagis inſuper recipiat Juramentum, prævie explicetur eidem religio Juramenti, quòd nempè, ſi debitè fiat, ſit actus virtutis, Deo placens, ac meritorius. Sin minùs; quòd temerè incurratur crimen perjurii, peccatum illud deteſtabile, quo graviter violatur præceptum Decalogi, dum aſſumitur in vanum Nomen Domini Dei, ac Judicis noſtri, & quidem per invocationem Dei infinitæ ſcientiæ, ac æternæ veritatis, in teſtem falſitatis, ac mendacii; id quod graviſſimam injuriam continet 1. contra Deum Opt. Max. 2. contra proximum, ſcil. contra verum conjugem, vel ſponſam adhuc viventem &c. ac 3. contra propriam animam, quam ream facit lethalis peccati, & divini Judicii; nam dicere: So wahr mir GOtt helffe: idem eſt, ac dicere: Si falſum juro, Deus mihi non ſit propitius, ſed maledictio ejus ſit ſuper me, ſuper bona, familiam,

miliam, famam, corpus, & animam meam. Hinc talis pejerans, ac Polygamus non solùm versatur in continuo statu peccati mortalis, & proximo periculo æternæ damnationis, sed justam Dei vindictam etiam in hac vita vix evadet; prout pluribus exemplis comprobari potest, quòd similes temerarii ultione divinâ puniti fuerint in flagranti delicto, morte subitaneâ, ariditate membrorum, dæmonum invasione, successivâ paupertate, aliísq; plagis tremendis. Quin & Judex humanus hoc delictum diversis pœnis castigat, sc. infamiæ, fustigationis, relegationis, amputâtionis linguæ, ac digitorum &c.

10. Quodsi itaque vagus præmissâ simili admonitione perseveret in proposito jurandi, simpliciter ac purè, sine omni dolo, restrictione, æquivocatione, & amphibologiâ, apponatur Imago Crucifixi, cum duobus cereis accensis, & fiat ei sequens prælectio, & quidem de manè:

Ihr N.N. sollet schwören einen Eyd zu GOtt / und seinem heiligen Evangelio / daß ihr annoch freyen / und ledigen Stands / auch mit niemand weder würck-

lich

lich verheyrather/ noch ehelich verspro-chen seyer/ als mit derjenigen Manns- oder Weibs-Person/ Nahmens NN. die ihr anjetzo als frey/ und ledig zu heyrathen ge-dencket.

Wann ihr nun dasjenige/ so euch an-jetzo ist vorgelesen worden/ euch getrauet allhier vor der Bildnuß unsers Heylands/ und zukünfftigen strengen Richters mit ei-nem Eyd zu behaupten/ so gelobet im Nah-men Seiner Hochfürstlichen Gnaden mir an durch Hand-Gelöbnuß/ daß ihr die reine/ ohnverfälschte Wahrheit beschwören wollet/ hebet in die Höhe die drey erste Finger euerer rechten Hand (si sit fœmi-na addatur: leget sie auf euere lincke Brust) und sprechet mir nach den folgen-den Eyd:

" Daß alles dasjenige/ was mir anjetzo
" ist vorgelesen worden/ und ich von
" Wort zu Wort wohl verstanden/ auch
" mit Hand-Treu darüber angelobet habe/
" in der That wahr seye/ und ich mit nie-
" mand würcklich verheyrathet/ noch ehe-
" lich versprochen seye/ als mit NN.
" Dieses sage/ bekräfftige/ und schwöre ich
" hiermit/ alles getreulich/ ohne Argliſt/

" und

" und Gefehrde / So wahr mir GOtt
" helffe / und sein heiliges Evangelium.

11. Præmissa inservient Parocho pro norma, juxta quam proportionaliter ordinare possit etiam alia Juramenta, quorum receptio eidem ab Ordinario subindè committitur, prout fit in casu, quo v. g. testis legaliter audiendus est. Modus autem excipiendi juramentum testis in eo consistit, quòd præviâ citatione, & declaratione, quare, & super quo argumento citatus sit, factâque explicatione jurisjurandi, adhortatione, & stipulatione de veritate dicendâ; & (si agatur judicialiter, citatâ priùs utrâque parte ad videndum jurare testem, si velit) sequentem formulam erectis digitis ut suprà pronuntiare debeat:

Diesem Zeugen, Eyd / der mir anjetzo ist vorgehalten worden / den ich von Wort zu Wort wohl verstanden / auch mit Hand-Treu darüber angelobet habe / dem will ich stät / vest / und unverbrüchlich nachkommen / alles getreulich / ohne Arglist, und Gefehrde / So wahr mir GOtt helffe / und sein heiliges Evangelium.

Exinde reliquis dimissis, remanet solus testis,

testis, quem Commissarius examinat juxta Articulos, seu Interrogatoria sibi communicata, annotante responsiones Notario, Poligrapho, Ludirectore, vel alio Scriba jurato. Finito Examine testis dimittitur cum impositione silentii, & Protocollum subscriptum, ac sigillatum cum Relatione transmittitur ad Superiorem Delegantem.

12. Cæterùm quotiescunque à Sede Aposst. conceditur Mandatum de dispensando in forma Pauperum, propter habitam copulam, vel conversationem suspectam, injungitur Executori, ut ab Oratoribus priùs recipiat juramentum, quòd incestum non commiserint sub spe faciliùs habendæ dispensationis, quódque talia deinceps non sint committuri, neque committentibus consilium, auxilium, vel favorem præstituri; *vid. fol. 56.* Cúmque talis receptio sæpè subdelegetur Parocho Oratorum, is conformiter supradictis num. 9. & 10. procedere, ac juxta sequentem formulam juramentum ab iisdem excipere poterit:

Ich NN. schwöre hiermit einen Eyd zu GOtt/ und seinem heiligen Evangelio/ daß die

die schwere Sünd/ die ich mit NN. leyder! begangen habe/ (oder die verdächtige Gemeinschafft/ die ich mit NN. leyder! gepflogen habe) nicht geschehen seye aus der Ursach/ und in der Hoffnung/ damit ich die Dispensation, oder gnädige Erlaubnuß diese Person zu heyrathen/ desto leichter erlangen möchte: daß ich auch dergleichen Mißhandlung inskünfftig weder selbsten mehr begehen/ noch jemand einige Hülff/ Rath/ oder Beystand darzu leisten wolle/ alles getreulich/ ohne Argliſt/und Gefehrde/ So wahr mir GOtt helffe/ und sein heiliges Evangelium.

Denique Parochis & Confessariis nonnunquam à Ven. Consistorio recommendatur explicatio religionis Juramenti, & pœnæ perjurii, priusquam Actor, vel Reus illud in Judicio actualiter præstet; ídque cum fiducia, quòd pium hoc munus libenter in se suscipiant.

CAPUT XII.

Quid notandum ſit à Parocho poſt factam Oratorum copulationem.

1.

NOlumus hìc repetere, multò minùs reformare ea, quæ in Agenda, ſeu Rituali Herbipolenſi circa finem ordinata ſunt, circa modum inſcribendi neo-conjugatos in librum, ſeu Matriculam Parochialem; id ſolùm inſinuandum duximus, quòd in caſu, quo Parochus aſtitit matrimonio contracto, præviâ diſpenſatione ſuper denuntiationibus, vel ſuper aliquo impedimento &c. non ſufficiat annotare hanc circumſtantiam in Libro Matrimoniorum, ſed inſuper oporteat reponere, & aſſervare ipſas litteras diſpenſationis ſibi directas, ad effectum, ut futuris etiam temporibus Parochi Succeſſores, ſi opus fuerit, exinde notitiam haurire poſſint.

2. Quâ occaſione monendi videntur ſinguli Parochi, ut generaliter omnia Docu-

Documenta, Acta, Scripturas, Libros veteres, ac novos, Decreta, Ordinationes, Mandata, Reſcripta, omniáque alia, quæ tam ad eorum officium, curámque animarum, quàm ad Jura, Poſſeſſiones, ac Redditus Eccleſiæ, & Parochiæ pertinent, ſedulò cuſtodiant, & ordinatè aſſervent. Quem in finem expediens eſt, ut quilibet Curatus quoddam Regeſtum, ſive quandam Repoſituram inſtructam teneat, ubi in Scrinio ad id apto, & benè clauſo, in diſtinctis Ladulis, ſeu Loculamentis, ſub inſcriptione diverſarum rubricarum, cum Litteris A. B. C... ac Cifris 1. 2. 3... præmiſſa omnia ſuo ordine collocare poſſit. In ſpecie rerum matrimonialium, præfatæ Ladulæ hujusmodi rubricis ſignari poſſent: F. *Decreta Matrimonial.* G. *Diſpenſationes Matrim.* I. *Diſpenſ. Proclamat.* H. *Teſtimonial. Proclamationum.* L. *Licentiæ copulandi* &c. & ſic de reliquis materiis, ac Documentis.

3. Quare in inſcriptione conjugum, qui prævia diſpenſatione, vel aliâ licentiâ, copulati ſunt, ſeſe referre poterit ad Acta in Repoſitura aſſervata, hoc modo:

Anno... Die... Menſis... in matrimonium publicè conjuncti ſunt Joannes N.N. filius legitimus N.N. & N.N. conjugum, de loco N. nec non Catharina N. filia legitima N.N. & N. conjugum in oppido N. prævia dispenſatione Apoſtolica, vel *Celſiſſimi Domini Ordinarii ſuper impedimento N. in gradu... cujus litteræ originales aſſervantur in Lad. G. ſub num. 6.: ac cum dispenſatione ſuper una*, vel *tribus denuntiationibus vigore Reſcripti Lad. I. n. 8.* vel *præmiſſis denuntiationibus etiam in Parochia Sponſi, prout conſtat ex Teſtimon. Proclam. Lad. H. n. 15.* vel *poſt conceſſam licentiam eosdem copulandi, eoquòd fuerint Exteri, vel Vagi, quam vide in Lad. L. n. 18. Aſtitit matrimonio, ſponsósque conjunxit, atque ex ritu S. Matris Eccleſiæ benedixit... Parochus in Eccleſia Parochiali*, vel *Filiali N.* vel *aſtitit, eósque conjunxit de licentia Celſiſſimi Domini Ordinarii vigore Decreti Lad. L. n. 23. vel de licentia proprii Parochi, regiſtrata Lad. ead. n. 28. Sacerdos N.... Teſtes fuerunt...*

Porrò cùm paſſim Litteræ Teſtimoniales expetantur ſuper matrimonio legiti-

gitimè contracto, nec non ſuper collatione Baptiſmi, legitimâ nativitate, & obitu conjugis, hinc pro majori Parochorum commoditate nonnullas formulas probato uſui, ac propoſito noſtro magis accommodatas pro aliquali Idea hìc ſubjungimus.

Formula Litterarum Matrimonialium ſuper contracto matrimonio, ſive Ehe-Brief.

PRæſentium vigore notum ſit omnibus, quòd Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo tertio, Die ſecundâ Menſis Januarii, præmiſſis de more tribus è cathedra denuntiationibus, nullóque detecto impedimento Canonico, in Eccleſia Parochiali... publicè in matrimonium per verba de præſenti conjuncti fuerint Perhoneſtus Adoleſcens Georgius, quondam Spectabilis Viri Caſimiri Hoffmann, Prætoris hujatis, & Catharinæ Conjugum filius legitimus: nec non pudica Virgo Agatha, Strenui Domini Matthæi Forſter Præfecti ibidem, & Thereſiæ Conjugum filia legitima: Aſſiſtente, nuptiásque eorum intra

Missarum solemnia benedicente me infrascripto Parocho proprio (vel alio de licentia...) præsentibus testibus Stephano N. & Laurentio N. In quorum fidem has Testimoniales è Matricula Parochiali Conjugatorum ritè extractas, propriâ manu subscripsi, & consueto meo Sigillo munivi. Datum N. Die quarta Januarii Anno millesimo septingentesimo trigesimo tertio.

(L.S.) *N. N.*
Parochus ibidem.

Conveniens quandoque reputatur, ut Parochus in hisce expeditionibus, quæ in publicum prodeunt, apponat personis congrua, prudentûmque usû recepta prædicata, cui observantiæ sese conformare poterit.

Quodsi prævideatur, quòd hujusmodi Testimoniales probationis loco deferendæ sint ad aliam Diœcesim, vel Provinciam remotiorem, ubi de manu, ac sigillo Parochi vix constare poterit, tunc expedit eas priùs transmittere ad Curiam Episcopalem, ad effectum, ut ibidem Authoritate publicâ legalizentur.

Lau-

Laudabile eſt, ſi Parochi ſibi provideant de proprio ſigillo, benè diſtinctivo, quod proinde non contineat implexos characteres, vulgò einen Zug/ neque calicem, oſtenſorium, aliásve figuras ſacras repræſentet.

Alia Formula.

EGo infraſcriptus tenore præſentium fidem facio, & atteſtor, qualiter Anno Domini... Die... Menſis...prævia diſpenſatione ſuper denuntiationibus, à Celſiſſimo Domino Noſtro Ordinario obtentâ, nullóque obſtante impedimento canonico, publicè coram facie Eccleſiæ, juxta formam S. Concilii Tridentini, Herbipoli in Eccleſia Parochiali N. matrimonialiter copulati fuerint Joannes.... filius legitimus: & Barbara relicta vidua quondam Martini Schmidt mariti ejusdem defuncti, nata Krauſin. Aſſiſtente... Præſentibus Teſtibus..... In quorum fidem præſentes litteras è Matricula Parochiali Conjugatorum ritè extraxi, propriâ manu ſubſcripſi, ac conſueto meo ſigillo roboravi. Herbipoli Die.. Menſis...Anno....

N. N.
Parochus ad S. N. ibidem.

Alia Formula.

UNiversis ac singulis, ad quos spectat, tenore præsentium notum facio, & in verbo veritatis attestor ego infrascriptus Parochus Ecclesiæ Parochialis in... quòd Anno... Die... Mensis... servatis de more servandis, in Ecclesiâ... in matrimonium publicè conjunxerim Perillustrem Dominum ex avita Prosapia L. Baronum de... meum Parochianum, filium legitimum quondam Perillustrium .... Conjugum : nec non Perillustrem Domicellam.:.. filiam legitimam .. . eorúmque nuptias exinde inter Missarum solemnia ritè benedixerim. Præsentibus Testibus... Prout de omnibus prædictis constat ex Libro, sive Matricula, in qua nomina Conjugatorum de Parochia annotata reperiuntur. In quorum fidem præsentes Testimoniales propriâ manu subscriptas, consuetóque meo sigillo munitas dedi, Herbipoli....

Alia Formula.

Benevolo Lectori Salutem in Domino.

CUm Exhibitor harum NN. à me infrascripto decenter petiêrit authenticum

cum Teſtimonium ſuæ legitimæ Copulationis matrimonialis, tam honeſtæ petitioni deeſſe non potui; Atteſtor itaque per præſentes, quòd Anno Domini... prout ſupra.

Formula brevior.

